B. C. D.

MICHAELIS ETTMÜLLERI, PHILOSOPH. ET MEDICINÆ DOCTORIS, PROFESSORIS PUBLICI ET FACULTATIS MEDICÆ LIPSIENSIS ADSESSORIS,

SYNOPSIS COLLEGII INSTITUTIONUM MEDICARUM

IN THESES CONCINNATI.

PHYSIOLOGIA.

§. I.

Edicina cum ſit *Ars*, quæ corpus humanum vivens, quatenus ſanabile eſt, ſeu quatenus ejus ſanitas præſens conſervanda, abſens verò reſtituenda, tractat, erit ratione Objecti & ratione Finis omnium nobiliſſima.

§. II. Cui nihil detrahit, quod dicatur *Ars conjecturalis*: quas enim adhibet conjecturas, non ſunt temerariæ ſeu ſine fundamento, nec de rebus purè contingentibus; tales enim nil aliud eſſent, quàm puræ ignorantiæ & vanæ perſvaſiones.

§. III. Sed conjecturæ, quibus nititur Medicus, ſint circumſpectæ & fundatæ experientiis, & hinc deductis concluſionibus rationalibus; ſiquidem & verſantur circa res apparenter quidem, ob promiſcuas intervenientes circumſtantias, contingentes, in ſe tamen neceſſariam cohærentiam cauſarum naturalium cum effectibus habentes, adeoque hæ ipſæ veræ ſcientiæ proximæ ſunt.

§ IV. Eſt ſcilicet unicuique homini ſua peculiaris *idioſyncraſia*, ob quam univerſales non æquè in omnibus formari poſſunt concluſiones, quin eæ, quæ ut plurimum veræ ſunt, in individualibus locum neceſſariæ conſequentiæ obtineant. Accedit & ſcientia naturalis adhuc in pluribus defectuoſa, cui tamen revera ſubalternata eſt medicina: *unde ratione fundamenti in naturalibus, & ratione Objecti in individuis, hominis ſcilicet, conjecturis neceſſariò in medicina utendum eſt.*

§. V. Fundamentum conjecturarum debent eſſe non ſola experimenta; hæc enim ſunt temeraria, ſubinde etiam nociva, & *Empiricam ſectam* conſtituunt: non ſolæ rationes; hæ enim ſunt cæcæ, & admodum erroneæ, ac *ſectam dogmaticam Galenicam* conſtituunt: neque etiam Analogiſmus, ſeu in plurimis morbis eadem ratio aut eædem communitates; hic enim pariter *Empiricam ſectam* facit ſeu conſtituit.

§. VI. *Experientia* & *ratio* ſimul *fundamentum* ſint conjecturarum Medicarum, dum memoriâ & judiciô inſtructus Medicus aliàs obſervata ſua ægrotanti individuo, tam quoad theoriam quàm praxin, judiciosè applicat: unde hæc duo, *Experientia & ratio, fundamentum Medicinæ veræ conſtituunt*, quæ etiam, pro experimentis obſervandis, binis acutis oculis, *ſiniſtro Pyrotechniæ, & dextro Anatomiæ*, inſtructa eſt: unde & ratione pyrotechniæ *ſpagyrica ſecta* præ cæteris nobiliſſima eſt.

§. VII. Sunt autem Medicinæ pro reliquarum omnium partium natura tres *partes principales*: Prima Finem propoſitum conſiderans, ut *Pathologia*, quæ ſanitatis & huic oppoſitorum morborum ſcrutatur naturam, ut in ſubjecto per *Phyſiologiam, Partem Medicinæ ſecundam*, probè cognito, eundem intentum obtineat, ita ut in *Parte tertia* doceat per legitima media eam vel integram conſervare in *Hygiene*, vel labefactatam reſtituere in *Therapevtica*.

§. IIX. Semiotica eſt bipartita. Nam diagnoſtica ad Pathologiam, prognoſtica ad Therapevticam pertinent; cùm Medicus Practicus perſpectâ morborum ratione imprimis per ſigna eosdem, ſubinde abditos in ægro, cognoſcere & perſpicere debeat, & præterea ſub curatione maturè præcognoſcere, an curabilis, an verò incurabilis, & quomodo, ſit?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0019-1 DFG

§. IX. Ministræ partes Hygienæ sunt Ars culinaria, & huic cognata pistoria; Therapeuticæ verò ministratur Pharmaceutica & Chirurgia: quarum illa omnium simplicium exactam cognitionem; hæc anatomes crebrius exercitium, præsupponit.

§. X. Nondum autem perfecta est Medicina, quin potiùs à diebus Hippocratis ad nostrum usque seculum steterit, & parum profecerit: id quod factum fuit (1) ob variam literarum ac Medicinæ sub Barbaris fortunam, cùm sub regnorum mutationibus & hæc mutationem & detrimenta subinde passa sit. Accedit (2) quod superiorum seculorum Medici unicè in scriptorum Græcorum & Arabum versione, & iterata dilucidatione ac commentatione, occupati fuerint, de ulteriori progressu nesomniantes quidem: unde successivè succrevit infausta & quasi jurata Veterum veneratio.

§. XI. Hinc (3) factum, ut, neglectâ Hippocraticâ methodo, per observationes ulteriùs progrediendi, præmaturè Medicina adhuc mutila in corpus systematicum, instar cujusdam perfectæ disciplinæ, redacta fuerit; Et (4) simul ARISTOTELIS dogmata rationalia ceu fundamentalia sine ulteriori examine in Medicinam introducta sint, neglectô contrariô (5) primario Philosophiæ & Medicinæ fundamento. Pyrotechnia.

§. XII. Objectum Medicinæ est corpus humanum vivens, quatenus sanabile. Illud materiale, hoc activum seu Formale dicitur. *Hoc corpus ut rectè consideretur, attendendum est tàm ad ipsam corporis structuram materialem, quàm ad ejus actum vitalem formalem:* illa, nempè structura corporis humani in se considerata se habet instar machinæ artificiosissimæ; hic se habet instar principii moventis spirituosi, & dictam machinam dirigentis.

§. XIII. Machinam dicimus corpus nostrum, non secus ac omnium brutorum, similem machinis artis hydraulicis. Nam anima incorporea in brutis est nulla, in homine verò rationalis, in se quidem certa, cum corporis tamen actionibus nullum habet commercium.

§. XIV. In structura hujus machinæ materiali duplex partium differentia imprimis consideranda est, nempe dum partes quædam sunt nerveæ, seu, ut aliàs vocantur, spermaticæ, aliæ verò sunt sanguineæ. Istæ sunt nihil aliud, nisi mirabilis fibrarum textura, quæ prima partium stamina constituit, & primitus in ovo ex ejus colliquamento delineatur & effingitur: his fibris postmodum per coaguli modum sanguis hinc inde adhærescit, unde parenchymata sanguinea nascuntur; quæ duæ partes certo situ & nexu invicem cohærentes materialem corporis structuram constituunt.

§. XV. Structura dicta corporis materialis non constat ex quatuor illis vulgaribus elementis, ex quibus omnia mixtorum concreta composita finguntur: nam hic quaternio à nemine adhuc, neque evidenti ulla ratione, neque ulla certa vel probabili saltem certa experientia, est comprobatus.

§. XVI. De aqua quidem non dubitandum, eam esse catholicum omnium materiale principium: nam omnia vegetabilia ex aqua fiunt, & omnia ex ea constare, resolutio probat. Tacemus alia exempla hoc probantia. Sic enim ex aqua pluviali fit terra levis & candida, quæ, quo sæpiùs destillatur, eò magis crescere & augeri videtur, ita ut tres ejus partes in terram mutentur: vid. *BOYLE de Form. & Qualit.*, qui omnia corpora terrea, ut gemmas & lapides pretiosos ac perspicuos, aquæ fructus pronunciat in *Tr. de gemmis.*

§. XVII. Quamplurima autem dantur corpora, in quibus nullum horum elementorum potest demonstrari, v.g. *Mercurius vivus, crystallus, & similia,* nullum vestigium elementorum horum quatuor habent.

§. XIIX. *Spagyrici* aliàs *quinque principia* assumunt, tria activa, *sal* puta, *sulphur & Mercurium, & duo passiva, phlegma & caput mortuum* seu *terram*: ast & hæc principia non ritè explicari possunt. Nam omnes scriptores hujusmodi ita videntur confusi, ut res diversas uno sulphuris nomine explicent, cùm tamen illud non unum sed multiplex sit, aliud puta vegetabile, aliud minerale, aliud animale. Accedit huic, quod illi non attenderint, ex resolutione per ignem nova subindè emergere concreta, pro simplicibus tamen ab iisdem habita: sic enim e.g. *olea destillata* sunt *corpora mista* seu *composita*, & tamen ab illis *pro principio sulphureo assumpta*; deinde *composita putarunt esse componentia*: vid. BOYLE in *Chim. scept.*, delens hanc activorum triplicitatem; *it. GVISSON. in Epistola.*

§. XIX. Circa ea verò explicanda inter illos Autores non constat, ut confusos potiùs opinionum nodos, quàm solidam sententiam, ex hac doctrina percipere liceat. Cùm ergò nec hæc sufficerent, alia iniri via, & natura explicari secundùm principia Mathematica, & rectè quidem, cepit. Inter eos autem primus fuit CARTESIUS qui in generalioribus laude suâ non fraudandus; ast ubi ad specialiora pervenit, superficiarium esse atque jejunum, merito suo pronunciamus, ejusque tria elementa sunt svavis speculatio, ingeniique lusus, ab initio plausibilis quidem, sed qui in Medicina usum habet nullum: vid. *TATTINGHOFF. Clav. Philos. Cartesiana*, novus, rarus ac perspicuus liber.

§. XX. Existentiam quidem aëris, aquæ & terræ, nemo negabit, cùm hæc sint maximæ portiones globum nostrum componentes, ac quasi receptacula ac quasi diversoria reliquorum variorum corporum. Sed an materialiter unà cum igne sic dicto elementari omnia mista componant, dubitatur meritò, utut de aqua separatim considerata res certissima sit, eam frequentissimè mistorum reverà ingredi compositionem; ut taceam THALETIS ab HELMONTIO revocatam ab orco sententiam; *Omnia ex sola aqua materialiter constare* asserentium.

§. XXI. Ex aqua autem constare omnia, probant quidam singulari hoc experimento; dum levem pulveris igniti quantitatem projiciunt in aquam, & sic eandem in perfectam, & quidem durissimam atque pellucidam, gemmam transmutant: vid. *MORHOFF. in Epist. ad D. D. Majorem de scypho vitreo, per certum vocu humanæ sonitum disrupto.*

§. XXII. *Ignis* ipsius natura semper obscura & intricata fuit: modernorum tamen experimenta Vulcano Chymico adjuta persuadent, *Ignem* nostrum usualem (nam de cœlesti in solari corpore concentrato, & inde in universam mundi machinam, & imprimis ipsos planetas, adeoque & tellurem, sub nomine radiorum & luminis evibrato, non est hujus loci tractare; utut multa persuadeant, eundem itidem ex sulphure resoluto constare:) nil aliud esse, quàm *dissolutionem corporum dictorum sulphureorum*, i.e. in recessu pinguium acidorum, in sui particulas immediatè minimas *factam*, imprimis *mediante aëre*, cujus dissolutionis effectus duo inseparabiles sunt: Calor & Lumen.

§. XXIII. Viget ignis imprimis *in flamma* quæ est rarefactio & dissolutio fumi, *fumus* verò flamma inspissata, constans particulis ulteriùs rarefactibilibus, elevatis tamen per aëris, à calore rarefacti, motum:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0020-2 DFG

tum : unde quod non æquè potest resolvi, sub cinerum forma remanet : hinc flamma quæcunque extincta vel suffocata abit in fumum, fumus condensatur in fuliginem, sicut fumus, v. g. candelæ, facilè in flammam incenditur.

§. XXIV. Hinc unum idemque corpus in flammam, fumum, fuliginem, fuliginis oleum, acidum & pingue, & similia corpora, prout diversimodè tractatur & modificatur, est resolubile. Nam petroleum, oleum commune olivarum, pix, spiritus vini, &c. facillimè inflammantur, totaque transeunt in forma flammæ, ut parum vel nihil restitet, quæ flamma, excluso aëre, suppressa abit in fumum, qui fumus est ipsum istud corpus, quod in vase ab aëre munito in forma olei destillati, cum majori licet fixioris substantiæ remanentia, propter defectum aëris se manifestat; ita ut ipsum corpus pingue, oleum inde destillatum, fumus, flamma, &c. sint una eademque substantia.

§. XXV. Adeoque ut lignum, quod in aëre libero seu aperto comburitur, & flamma, fumus, fuligo, fuliginisque spiritus, & oleum & sal, atque idem lignum, quod in vase clauso, aëris ingressum omnem excludente, igni committitur, & ejus phlegma, oleum, spiritus, &c. per retortam prolicita, sint omnia una eademque substantia materialis, pro varietate suæ texturæ mediante motu inductæ, repræsentans tot diversa schemata.

§. XXVI. *Nitri ipsius* corpus salinum dum integrum est, cùm in crucibulo igni exposito fluit, dum carbonis igniti tantillo, incensi & adjecti maximam partem in flammam abit, dum eadem flamma in retorta coërcita in fumum rutilantem cogitur, dum hic in spiritum acidum condensatur, dum hic spiritus in sale tartari regeneratur in perfectum nitrum, est una eademque materialis substantia, nunc ignis & flammæ, nunc aliam induens larvam, pro varia substantiæ ejusdem materialis, secundùm minima corpuscula, per motum textura.

§. XXVII. Ignis igitur non est distinctum quid ab aliis corporibus, & deflagratio est actus dissolutionis corporum plus minus sulphureorum, quæ aëre resoluta & rarefacta repræsentant nobis tale ens, quod nos Ignem vocamus : ita ut in igne considerandum sit (1.) *subjectum ignitum*, quod sunt corpora plus minus sulphurea; & (2.) *medium ignitionis*, quod est aër. Cæterùm quod ignis consistat in solutione corporum mediante aëre, probatur exemplo Veneris, cui si affundatur spiritus nitri, ex mutua actione & reactione calor oriatur intensissimus, evolabit fumus rutilans, imò interdum ignem ac flammam concipiet.

§. XXIIX. Sic scintillulæ ex chalybe elicitæ nil aliud sunt, nisi particulæ sulphureæ, per motum istum silicis violentum ab aëre nitroso reclusæ & accensæ, quod potest probari per microscopium, si illæ particulæ in charta exceptæ inspiciantur : vid. HOCK, *in Micrograph., Anglico idiomate conscripta.*

§. XXIX. Adeo omnia corpora constant ex una simplicissima materia, per superinductum motum in minutissimas particulas confracta, quæ cùm diversissimarum figurarum sint, varientque etiam magnitudine, situ, ordine & motu ; fit hinc, ut pro varia harum textura & coalitu tam diversa in universo mundo oriantur corpora.

§. XXX. Cùm verò videamus, omnia corpora fieri seu generari, nutriri, & augmentari, ac corrumpi successivè & insensibiliter, adeoque per minimas materiæ constituentis particulas, ita ut ex minimarum harum particularum *syncrisi seu unione*, certa *diacrisi* seu *separatione*, & *metastasi* seu *transpositione* variâ fiant, intereant & alterentur diversimodè corpora; potiùs igitur multivarias tales particulas seu principia corporum materialia ac elementa assumamus : quæ texturæ particularum in corpore, & inde natæ variæ, respectu nostri concipiendi modi, proprietates reverà sunt id, quod vulgò *substantialis forma* dicitur.

§. XXXI. Particulas illas minutissimas Veteres vocarunt *Atomos*, quasi non dissecabiles; ubi tamen distinguendum est inter *divisionem realem seu physicam, & mentalem seu Mathematicam* : sunt quidem indivisibiles physicè & realiter, Mathematicè verò minimè. Ex his ergò materialibus cùm reverà corpora constent, consequenter verissimum est : *Omnia constare materiâ*; quia verò hæc materia iners est, & omnia, quæ fieri debent, fiant per motum, cujus vis consistit in seminibus, ex his procedit *generatio*, & sic substantia materiæ dividitur in minuta frustula, quæ habebunt suam certam figuram & magnitudinem, & propereà quoque respectivè ad se invicem certum ordinem & situm. Hæ particulæ per unionem componunt omnia corpora, per resolutionem & separationem destruunt, per metastasin seu transpositionem immutant eadem & alterant.

§. XXXII. Probant hoc ipsum exempla : vitrum est productum artificiale multiplicis affectionis; fit ex particulis minutis cinerum & salis alcali fixi, quæ igne coëunt in vitrum, tanquam productum tertiũ. Vel sumatur cinnabaris, & consideretur ejus genesis, ex sulphure & Mercurio vivo comistis & sublimatis dependens, quæ dant novum corpus, proprietates planè alias ab istis duobus habens. Sic minio, quod nihil aliud est, quàm plumbum calcinatum, si affundatur acetum destillatum, aut alius liquor acidus, emergit liquor dulcis, saccharo dulcior; quod si porrò phlegma seu acetum destillatum evaporet, habentur in fundo & lateribus crystalli dulces, candidæ, ponderosæ, perspicuæ, planè differentes à minio & aceto destillato.

§. XXXIII. Insuper, ne saltem in arte factis hæreamus, sistam ex nativis vinum : sc. illius liquor primogenius, qui vere defluit ex palmitibus, si destillatur, tantillum acidus existens nil dabit, nisi phlegma & pauxillum salis acidi. Interim ex hoc liquore fiunt folia, postea baccæ, in quibus succus austero acidus contentus est : porrò succus iste dat mustum, mustum dat vinum, vinum tartarum, fæces & acetum, & hæc tandem phlegma & spiritum, quæ toto cœlo invicem differunt. Hæc mille producta secundùm ordinem fiunt ex aqua simplici, constante ex minutissimis particulis in motu constitutis, quæ diversimodè intertextæ & transpositæ dant tam varia nova concreta.

§. XXXIV. Similiter vinum in phiola hermeticè clausa, ita ut nequeat substantiæ separatio contingere, blando calori expositum in acetum degenerat, per nudam particularum minutissimarum transpositionem. Porrò accipiatur sal tartari fixum, affundatur illi liquor nitri acidus, ex ambobus effervescentibus novum nitrum regenerabitur, ac ita per syncrisin novum corpus prodibit. Quod si ergò particulæ homogeneæ concurrant, constituunt corpus *simplex*; sin heterogeneæ, compositum : sic enim v. g. aqua est corpus simplex, quod constat ex particulis minutis ejusdem essentiæ, parvis, oblongis, rotundis, utraque ex parte nonnihil acutis, quæ invicem unitæ constituunt aquam. Ex hac aquæ structura omnes illius proprietates demonstrantur : si enim istæ particulæ in continuo sunt motu, dant aquam limpidam; sin verò mutuo sibi intertextæ impediuntur in motu, constituunt

tuunt corpus durum seu glaciem, sicut, si sine intermistione terræ transeat, vocatur ea insipida: tandem si particulæ illæ celeriùs ac in sublime moveantur, vocatur Vapor.

§. XXXV. Cùm verò omnes hæ particulæ sint materiales, adeoq; quantæ, necessariò proprietates suas quantitativas & mechanicas, h. e. determinatam figuram ac magnitudinem, certum ad se invicem ordinem & situm habebunt; unde pro varia particularum talium, mediante motu, unione & textura, diversa necessariò fient corpora, horumque multiplices affectiones.

§. XXXVI. Textura ista particularum constituens corpora, prout diversa ratione afficere valet organa nostra sensoria, erit fundamentum tot conceptuum diversorum in nostra mente, ratione quorum à nobis corporibus istis tot diversa *Attributa* sub *Qualitatum* nomine adscribuntur, tanquam tot accidentium realium, cùm reverà nil aliud sint, quàm materiæ modi ex particularũ minimarum diversa textura oriundi, non realiter ab ipsa materia ita contexta differentes, sed nostro saltẽ concipiendi modo. Qualitates ergò vulgò dictæ non-entia reapte sunt. Res claret exemplo:

§. XXXVII. Quando nempe spiritus sulphuris perspicuus acidus, aqueus, rodit Venerem, ex utriusque unione fit vitriolum Veneris, constans solùm ex particulis acidis, certo modo particulis Venereis inter textis, ex qua nova textura fit corpus cœruleum rhombiforme, opacum, adstringens gustu & nauseosum, frigidum, inodorum, purum, glabrum, &c. quæ omnia attributa ceu qualitates à corpore distinctæ æstimantur, cùm nihil aliud sint, quàm diversi corporis concreti modi, ex particularum textura nova oriundi, solâ ratione in conceptu, non re ipsa à corpore, cui attribuuntur, distincti.

§. XXXIIX. Sed illæ ipsæ contextæ particulæ, prout per texturam novam novo motu linguam feriunt, ac œsophagum irritant, dicuntur *adstringere & nauseam movere*; prout lumen incidens certo modo ad oculum reflectunt, dicuntur efficere *corpus cœruleum*; prout certo situ se uniunt seu coëunt in corpus, repræsentant *rhombos*; prout digitis minus calidæ sentiuntur, quàm ipsi (digiti) sunt, *frigidæ* dicuntur; prout digitorum pulpæ non cedunt, *corpus durum* constituunt; propter æqualem tamen unionem quoad superficiem corpus *glabrum* redditur, & ita consequenter nostris sensoriis tot diversas impressiones faciunt, quæ ceu tot qualitates novæ vulgò æstimantur.

§. XXXIX. Particulæ tales per mutuam texturam constituunt mediante motu corpora mista, qui tamen motus non vagus, sed determinatus est, tàm in materiæ compositione, quàm ejus varia conformatione: adeò, ut non nisi vi seminum determinatâ ex istis particulis, fermentativo motu per semina alteratis, varia efformentur corpora.

§. XL. Sic v. g. ferri frustum pro varia sui configuratione dat modò clavum, modò clavem, modò serrã, &c. quæ configurationes tamen non differunt realiter à suo ferro, sed sunt unum idemq; ferrum: Si porrò consideramus ferrum, quatenus illud est corpus frigidum, durum, ponderosum, acutum, &c. varios inde nobis formamus conceptus, & diversas in ipso statuimus qualitates, quæ tamen non sunt, cùm illud sit una substantia, & quatenus premit manum, dicitur ponderosum, & hæc ponderositas dependet à particularum unione, & arcta compressione.

§. XLI. Ita color non nisi à motu descendit. Accipiatur ergò spir. nitri, qui frigidæ naturæ putatur, infundatur ei limatura martis pariter frigida, misceanturq; hæc; ita enim concipient calorem, qui tam diu durat, quàm diu motus durat: aut sumatur cera, quæ est corpus durum, & igni exponatur; ita enim particulæ cereæ incipient moveri, eaq; fit mollis; ut adeò mollities in corporis solutione, durities in compactione consistat: sicut porrò frigus in particularum quiete, asperitas in inæquali situ, glabrities contra in æquali pondere.

§. XLII. Particulæ tales, quæ immediatè corpora componunt, & in quæ etiam eadem immediatè resolvuntur, *numero trinario* pro explicandis corporũ phænomenis commodè comprehenduntur; nempè sunt *salino-acidæ, aqueæ, & terreæ*: quæ quidem sunt proxima corporum principia materialia, non tamen ultima principia, sed hujus respectu potiùs principiata, ex aliis particulis simplicioribus, per varias texturæ vicissitudines prius constructa, unde & sub resolutione in alias successivè facessunt particulas simpliciores, utplurimum aqueas & terreas.

§. XLIII. Ita ut quamplurima, quæ maximè videntur composita, primò ex aqua, per multiplicem particularum aquearum mutationem mechanicam, in alias particulas modò dictas, vi seminali factam oriri, & tandem in has ipsas sub resolutionibus, destructâ seminum potestate, ultimò redire videantur.

§. XLIV. Trinarius autem hic numerus ob id assumitur, quod sufficiat optimè pro explicandis phænomenis corporum, à materia seu concreto dependentibus, & earum aut omnium aut aliquarum præsentia, variata tantùm proportione, deprehẽditur in iisdem.

§. XLV. Particulas has inter primatum ducunt, & magis ferè præ cœteris activæ sunt salinæ, acutæ, rigidæ, &c. & cum aqueis particulis facilè unibiles, generali differentiâ *acidæ & alcalinæ*, & mutuâ factâ unione ortæ exinde *salsæ seu enixæ*. Hæ ipsæ instrumentaliter præcipuarum in rerum natura operationum, nempe coagulationum & dissolutionum, fermentationum & effervescentiarum, solutionum & præcipitationum, & quamplurimarum in corporibus insignium mutationum, sunt primarii Autores.

§. XLVI. Salia autem sunt vel fixa vel volatilia: fixa in igne durant, volatilia verò avolant. Sic sal amoniacum est sal compositũ, urinosum & acidum continens in se. Quod si cum hisce duobus salib⁹ unitis aliæ partes terreæ sunt extrusæ, vocatur illa actio Præcipitatio, e. g. vitriolum commune nihil aliud est, quam Venus, & minera martis, à spiritu sulphuris soluta.

§. XLVII. Sub generali autem acidi & alcali nomine innumerabilis salium, tanquam particularũ magis activarum, diversitas comprehenditur, cùm tàm urinosa quàm acida mille modis pro varietate concretorum, in quibus existunt, secundùm proprietates mechanicas inter se differant; unde & tam variis modis inter se & cum aliis mutuò uniri ac combinari diversi sapores, ac diversissima salia salsa seu enixa exinde componi possunt: ex quorum omnium varietate speciales quamplurimæ operationes naturales derivandæ sunt in corporibus.

§. XLIIX. Imprimis *fermentationes & effervescentiæ* dependent à salium activitate, quæ sunt media transmutationum & digestionũ in corpore animali; est sc. *fermentatio motus intestinus particularum minutarũ, corpus mistum constituentium, ortus à mutua salium, alcali & acidi, in unoquoq; misto existentium, sed resolutorum, in se invicem actione*, qua omnes reliquæ mistũ componentes particulæ inter se variè comiscentur & agitantur, donec ipsa sequatur aut ultima misti talis resolutio, aut nova ejusdem alteratio, à salium istorum nova unione, aut saltem contemperatione, dependens.

§. XLIX. Bina illa salia, acidum & alcali, reperiuntur in omnibus tribus regnis, maximè in minerali, & specia-

ſpeciatim in ſulphuribus mineralium: nam nunquam in tota natura reperitur ſulphureum, cui non ex parte adjunctum ſit *acidum ſuum*. Metalla etiam turgent talibus ſulphuribus, ſalibusq; ſulphureis acidis. In vegetabili regno imprimis ligna acidum erutant ſpiritum volatilem; unde quod in combuſtione oculos, morſicat, eſt acidum in illis latens. In animali regno parciſſimè habentur acida manifeſta, quia ſemper ſub oleis ſolent latitare.

§. L. Sali acido oppoſitum eſt *Vrinoſum*, aliàs *Alcali & Lixivioſum dictum*. Sunt urinoſa ſalia duplicia; vel *volatilia*, (*nativa dicta*) quia non in igne perſiſtunt, ut ſunt ſal cornu cervi, viperarum, &c. vel *fixa* (artificialia dicta) Sic in ſpiritu urinæ humanæ & aliorum animalium luxuriat ac latitat tale ſal volatile. In regno vegetabili etiam habentur talia ſalia urinoſa, modò acriora, ut in plantis ſapore cauſtico conſtantibus, e.g. armoracia, ſinapi, cochlearia, &c. modò temperatiora, & blandiora, quali prædita ſunt plantæ aromaticæ, mentha, abſinthiũ, aniſum &c. in quorũ blando oleo ſubſiſtunt alcalia volatilia. Denique occultata etiam volatilia alcalia inveniuntur in plantis vulnerariis.

§ LI. Quod verò attinet *urinoſa artificialia* ſeu *fixa ſalia*, ea non præexiſtunt in ipſo concreto ante calcinationem, ſed potiùs fiunt per artificium ignis, nempe per colliquefactionem ſulphuris acidi & ſalis volatilis, quæ duo invicem ſe arripiunt, coëuntq; in *ſal ſalſum*. Talia alcalia fixa ſeu artificialia reperiuntur in vegetabili & minerali regno, minus in animali. Ulterius quando acidum & urinoſum conjunguntur mediante ſubjecto liquido, coëunt in ſal miſtum, novum compoſitum, ex utrisq; conſtans. Tale eſt, quando ſal tartari & ſpir. vitrioli conjunguntur; tunc enim ſal tertium ſeu enixum ferè emergit, inſipidum ferè vel ſalſum, quod *tartarus vitriolatus eſt*. Sic etiam ſpiritus ſaliſcum quocunque ſale volatili urinoſo junctus conſtituit ſal ammoniacum.

§. LII. Tandem obſervandum, quod præter urinoſa dentur etiam ſubjecta terrea, quaſi alcalia, &c. acidis etiam effervescentiam excitantia. Sic v. g. ſi affundatur ſpir. ſalis limaturæ ♂is, fit effervescentia. Idem fit, ſi ſpir. ſalis cretæ aut terræ ſigillatæ, aut ſi acetum deſtillatum coralliis affundatur; ſunt enim hæc concreta partim corpora poroſa inſtar alcalium fixorum, partim in ſe habent alcalia volatilia occultata, ſub ſolutionis actu emergentia. Cæterùm, uti alcalia dixi eſſe duplicia, volatilia & fixa; ita ex his *ſalſa ſeu enixa* emergentia, etiam erunt duplicia, *volatilia ſcilicet*, quæ *in igne avolant, & fixa*, quæ permanent. Aliàs etiam Autores interdum ludunt in vocabulo ſalſi, & malè in comuni ſalſum opponitur acido, quod obſervandum in lectione ZWELFFERI, qui ſalſa vocat ſalia volatilia, cùm tamen ſalſum propriè innuat ſal compoſitum ex alcali & acido.

§. LIII. Ratio, cur alcalia & acida coëant invicem, eſt, quia Alcalia ſunt corpora poroſa & quaſi majora; acida econtrà rigida minora & ſcindentia, adeoque hæc promptiſſimè uniuntur per motum ſpatiis alcalinarum. Muſtum fermentando extrudit particulas heterogeneas & non unibiles, quæ fundum petentes dicuntur fæces. Sic vinum fermentans mutatur in acetum, hoc verò ulterius fermentando abit in ſitum, poſt ſitum, fatiſcit in aquam.

§. LIV. Proxima fermentationi eſt *effervescentia*, dum utraque à ſalium activitate mutua oriantur, ſaltem diverſus eſt eorundem ſtatus: ſi enim ſunt aliis permiſta particulis, impedita quaſi blandiùs agunt & ſaltem fermentationem cient; ſin verò puriora & minus permiſta ſint, adeoque acriora exiſtant, impetuoſiùs in ſe mutuo agunt, & fortiori invicem colliduntur motu, adeoque majorem effervescentiam cient, donec brevi facta debitâ unione omnis pugna, adeoque & effervescentia ceſſet.

§. LV. Ex talibus particulis minutis, in ſpecie ſalinis & ſulphureis, etiam *ſanguis & lac* ſeu *chylus*, ſucci corporis noſtri primogenii mediatè (i. e. poſtquam in alia parva abierunt compoſita) conſtant, unde & conſequenter totum corpus materialiter ex iisdem erit compoſitum: id quod confirmat reſolutio ejus mechanico-chymica.

§. LVI. Quod ſi plures tales particulæ coëant in unam maſſam, conſtituunt *partes ſimilares*, ex quarum coagmentatione *diſſimilares* exoriuntur: ſicut hæ ipſæ fibris & vaſis appenſæ & connexæ, ac inde debitam nactæ conformationem ſuper baſin fibrarum, *organicas partes*, certis functionibus mechanicè exequendis deſtinatas, efformant.

§. LVII. Textura iſta particularum minutarum componens partes ſimilares, conſtituit reverà earundem *Temperamentum elementale* dictum; ſicut eadem particularum textura liquida *ſanguinem* compingens, *craſin* hujus ſeminalem conſtituit, unde *Temperamentum vitale*, quod aliàs in calido & humido conſiſtere dicitur, pro varia ſanguinis materiali miſcela in totum corpus derivatum.

§. LIIX. Quod vulgò de *quatuor Temperamentũ, elementu quatuor innixu*, dicitur, eſt falſum. Interim eatenus ea concedi poſſunt, quatenus ſtatuitur, quod quorum ſanguis abundat ſale volatili acri oleoſo, ii putentur *Cholerici*; ſicut qui ſal fixius cum particulis occultè acidis impræguatum habent, *Melancholici*; *ſanguinei*, quorum ſanguis ex debita particularum miſtura conſtat; *Phlegmatici*, quorum lympha obruit ſalia ſanguinis fermentativa.

§. LIX. Ita quidem ſe habet ſtructura machinæ corporis materialis. Quod attinet ejusdem *actum vitalem*, notum eſt, quod machina hæc animalis, dum in motu eſt diverſimodè, dicatur *vivere*; ita ut vita hominis aliorumque animalium formaliter in hujus machinæ corporeæ motu ſeu actuatione conſiſtat: quod ſi omnes iſti motus penitus ceſſent, ita ut irrevocabiles ſint, mortua ſit iſta: quod ſi rectè & debitè omnes iſtos motus peragat, ad quos per ſe apta nata eſt, ſana eſt; nam *ſanitas* eſt *vitæ integritas*: ſin verò perverſè & vitioſè, ac quidem erroneè moventur, dicitur ægrotare; nam *morbus eſt vitæ labefactatio*.

§. LX. Cùm autem machina noſtra corporea in motu conſiſtat, quæritur: quodnam ſit hoc, quod machinam primariò moveat, ſeu quod vitam impertiat? Reſp. Principium iſtud internum, quod principaliter actuat & movet machinam hanc animalem, *vitale* ab effectu appellatur, quod aliàs etiam ſpeciali nomine *anima* dicitur. Non autem eſt aliqua ſubſtantia immaterialis, quia (1) eſt in quibusdam diviſibilis (2) quia aliàs eſſet indeſtructibilis (3) quia in non-rationalibus eſſet planè inconceptibilis ſeu etiam intelligibilis.

§. LXI. Revera ergò *principium* hoc *vitale* erit *materiale*, toti viventi coextenſum, & propter actionum varietatem omnibus partibus ac organis intimè præſens, ſimulque ob earundem celeritatem, vehementiam ac diuturnitatem ſummè activum ac mobile.

§. LXII. Hæc & ſimilia attributa non conveniunt, præterquam ſubtiliſſimæ cuidam & volatiliſſimæ ac mobiliſſimæ materiæ, ob id à Medicis, analogicè licet tantùm, ſpiritus appellatæ.

§. LXIII. Intelligitur nempe hoc ipſo nil aliud, quàm ſanguis, aut ſuccus huic analogus in aliis animalibus ſeu brutis, in ſubtiliſſimam ſubſtantiam reſolutus, & exactiſſimè volatiliſatus in præcordiis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0023-0 DFG

tàm per continuam sui fermentationem, quàm non intermissam aëris inspirationem: unde pro actuatione totius machinæ corporeæ unà cum sanguine ulteriùs ex corde quaquaversum distribuitur.

§. LXIV. *Spiritus* materialiter ex sanguine, formaliter per ejus motum fermentativum & aëris inspirationem, generantur.

§. LXV. Resolutio talis sanguinis & in substantiam spirituosam volatilisatio vix fieri potest, quin propter crasin ejus salinam volatilem oleosam & quasi nitro-sulphuream cum insigni ejus incalescentia & æstuatione contingat, & fiat quasi quædam ejus accensio.

§. LXVI. Sanguinis ita attenuati ac resoluti & quodammodo accensi subtilissimæ portiones ac quasi flammeæ sunt isti *spiritus*, unde ob id non immeritò à quibusdam *luminosi* dicuntur seu *lucidi*, cùm in sua natura omnes lucis proprietates reverà possideant: qui dum in M. S. micant & gliscunt, *spiritus vitales* dicuntur; dum verò in cerebro & nervis liberiori lumine radiant, *animales* appellantur; sicuti iidem, quatenus ova fœcundant sub fœcundo congressu à munere *genitales* dici solent: & hoc est, quod alii animæ vitalis seu brutalis substantiam bipartitam faciant, igneam nempè seu flammeam, & luminosam.

§. LXVII. *Lux* non est qualitas, sed subtilis materia in continuo motu constituta: vid. *DIGBY de Immortal. Animæ.* Spiritibus hisce alii addunt *naturalem*, seu *facultatem naturalem*, sed malè: nam hæc facultas non fundata est in officio hepatis sanguificatorio; quod cùm falsum sit, etiam spiritus naturalis spontè cadit. Cœterùm spiritus genitalis nil aliud est, quàm spiritus animalis, qui ipse in actu generationis genitalis nomine venit, cùm operationes genitales etiam ad animales pertineant.

§. LXVIII. Præterea cùm subtilissimæ ita sint substantiæ ac summæ activitatis spiritus, rectè ob id à quibusdam de natura Gas esse dicuntur; pro natura tamen sanguinis, ceu materiæ ex qua, Gas hoc spirituosum reverà naturæ volatilis, salino-oleosæ seu salino-sulphureæ esse dicitur, quod per fermentationem & aëris resolutionem in sanguine volatilisatum, & celerrimâ agitatione velut accensum, instar subtilis & occultæ flammæ corruscat, totum corpus calefaciat, & à putredinis corruptione præservet. Patet ergò, quod spiritus materialiter ex sanguine, formaliter per motum ejus fermentativum, & aëris inspirationem generentur.

§. LXIX. Spirituum horum subtilissima ac quasi radiosa textura lucida necessariò mutuam adhæsionem requirit, quâ abruptâ, aut in quodam loco interceptâ, non sine periculo omnes operationes cessant: hinc in suspensis discontinuatio lucis hujus spirituosæ in causa est, ut in momento omnis facultas princeps cerebri pereat, non aliâ ratione ac syncopizantibus repentè corpus pallidùm & frigidum, & quasi mortuum, jacet.

§. LXX. Cùm verò vitæ sint radices, etiam corpus, quamdiu vivit, ab omni putredine præservabunt virtute salino-sulphureo-balsamicâ, non secus ac Gas sulphuris vina aut alios liquores facilè corruptibiles à corruptione præservat.

§. LXXI. Denique horum spirituum, accensione quasi quâdam genitorum, *calor* per totam machinam se diffundit, pro operationum quarumcunque facilitatione. Non ergò vita animalium præcisè consistet in calido seu calore, cùm animalia quam plurima sint frigida; imò ipsa animalia calida suas habeant vicissitudines secundùm magis & minus, ut in senibus gelidis, cachecticis, leucophlegmaticis, & similibus notissimum est: estque potiùs calor consequens quoddam necessarium vitæ in animalibus calidis.

§. LXXII. Nam *animalium* duplex est observanda distinctio: alia sunt *calida*, alia *frigida*. Fundamentum diversitatis consistit in sanguine, aut huic analogo succo nutritivo. Hic succus, *in quibus sulphureus est ac pinguior, simulquè salsior*, in his resolutus & volatilisatus, ac ab aëre excitatus, intensam quasi accensionem patitur, unde caloris sensibilis per totam machinam distributio & perceptio.

§. LXXIII. In animalibus verò frigidis, ut in aquatilibus frigidis, insectis, ranis, piscibus ferè omnibus, serpentibus, &c. *minus sulphureis, sed potiùs salinis nitrosis temperatis, aut quasi salinis Mercurialibus*, sanguinis ac succi nutritii fit resolutio, & volatilisatio ac illuminatio, sine ulla tali aut saltem non sensibili accensione.

§. LXXIV. Unde etiam illorum *calidorum* vis vitalis longè *faciliùs destructibilis* ac dissipabilis est, & promptè quasi extinguibilis; secus ac *frigidorum*, quorum spiritus luminosi minus ferventes ac subtiles existunt, simulque subjecto seu materiâ nonnihil viscidiori irretiti, *non adeò facilè dissipabiles* existunt, quin post corpora etiam discissa portiones divisæ motum & sensum vitamque adhuc retinent.

§. LXXV. Hujusmodi ergò *spiritus volatiles* reverà istud sunt, quod alii per *animam*, alii per *spiritus insitos & influos*, alii per *calidum innatum*, alii *ignem animalem*, alii *flammulam vitalem*, alii per aliud nomen, pro hypothesium varietate explicare voluerunt.

§. LXXVI. Cœterùm hîc observanda est ista differentia inter *corpora violenter & constantibus viribus vitalibus interempta*, & inter *corpora naturaliter ultimo senio, vel diuturno morbo sensim emortua*. In his enim universum spirituum systema successivè evanescit & extinguitur, deficiente sensim supplemento; unde & animales primò, tandem & vitales pereunt facultates: in illis verò, subitò suppresso spirituum impetu, & sufflaminato eorundem motu ac radio luminoso, aliquantæ substantiæ eorum portio, instar subtilis fumi aut halitus, à subjectis eorum crassioribus ac viscidioribus irretita, partibus adhuc naturaliter remanet, utut formali activitate vitali omninò destituta sint; unde & operationes vel effectus diversi à corporibus diversimodè mortuis suam originem habent.

§. LXXVII. Hinc deducendæ sunt *actiones magneticæ* omnes, qualis est, quando curaturi abundantiam lactis, jubemus illud emulgere supra carbones vivos. Sic notum est, quod usnea, ex cranio hominis violenter occisi procrescens, stupendas habeat virtutes contra hæmorrhagias, quod alius muscus, qui in cæmiteriis provenit, non præstat. Similiter si admoveatur manus verrucis aut aliis excrescentiis obsessa corpori successivè mortuo, hoc putrescente evanescent illæ.

§. LXXIIX. Quin & spirituum horum portiones quædam, quocunque medio, vel cum partibus solidis, vel per sanguinem, lac & effluvia, vel alia excreta, à toto decisæ, fundamentum existere videntur omnium *actionum sympatheticarum*, quatenus adhæc essentialem cum suo concreto habent convenientiam, adeoque separatæ, sed ante sui dissipationem plus minus alteratæ, similem in toto vel parte, in distans licet, alterationem, inducent.

§. LXXIX. *Fundamentum* ergò *vitæ consistit in sanguine* vel succo huic analogo (in aliis brutis non sangui-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0024-5 DFG

ſanguineis) utpote ex cujus penu continua ſpirituum & concatenata eſt reparatio vel regeneratio. Hujus ergò legitima craſis & inde oriunda debita fermentatio, ſpirituaſcentia & incandeſcentia, ac ſpirituum inde dependens hypoſtaſis plus vel minus diſſipabilis, radix eſt vitæ ſanæ vel ægræ, longæ vel brevis, &c.

§. LXXX. Quæritur: an vita poſſit prolongari? Reſp. naturalem terminum vitæ, quem omnia corpora ſecundum naturæ leges habent, fundatum eſſe in ſanguine & ſpiritibus; adeoque Adamum etiam ante lapſum naturaliter mortalem fuiſſe, utut immortalitatem per vitæ arborem ſibi procreare potuerit. Cœterùm diæta conſervat quidem vitam ſanam, non autem prolongat, adeoque ridendus eſt THEODATUS, conſervationem ſanitatis ad 120. annos à diæta ſibi ſomnians: quin potiùs prolongatio vitæ fit per ſublimiora remedia, qualia in regno vegetabili HELMONT. invenit in cedro, naturæ incorruptibilis exiſtente. Aſt cùm arbor hæc ſit rara, & exin ejusmodi medicamenti præparatio ob defectum alcaheſt ſit impoſſibilis, loco ejus TACKIUS *juniperum*, & STARCK. *in Pyrotechn. terebinthinam* ſumit.

§. LXXXI. Hæc ipſa omnia homo cum brutis habet communia, ipſi ſoli propria eſt *anima rationalis*, ſubſtantia reverà ſpirituoſa, immortalis & inalterabilis, cum corpore hominis animali nihil habens commercii, & ab œconomia animali ejusque functionibus planè excluſa, ſolas intellectus & voluntatis operationes immateriales ſeu inorganicas, ſibique proprias, peragens.

§. LXXXII. Ex unione tamen ejus cum corpore animali ſenſuum præſupponit miniſteria & exercitia in intelligendo, ut occaſione certarum ſpirituum animalium motionum ſub ſenſatione ſibi formet conceptus & phantaſmata, unde in intelligendo, per horum exorbitantias, ſubinde & ipſa aberrat: ſicut contrà pro voluntatis imperio certum ſpiritibus iſtis animalibus motum, pro voluntario motu, interim tribuere & imperare valet.

§. LXXXIII. In machina ergò noſtra corporea, quæ hydraulico-pnevmatica, *ſanguis & ſpiritus principis moventis* ſeu *activi* locum obtinent, *partes ſolidæ* verò ſunt ſubjectum *paſſivum*, quæ ab iſtis in motum concitantur: nam ex ab illis in Eſſe, Fieri & Operari reverà dependent.

§. LXXXIV. *Operationes omnes hujus machinæ reſpiciunt vel conſervationem ejus in individuo, vel in ſpecie:* illæ aut reſpiciunt eſſe vitale ſimpliciter, aut eſſe animale; unde ad tria generalia capita omnes corporis operationes ſeu functiones rediguntur, nempe ad *vitales*, *animales* & *genitales*.

§. LXXXV. *Vitales actiones* eò ſunt directæ, ut corpus & conſervetur & roboretur in ſuo vigore vitali, omnesque partes ſolidæ, pro obeundis meliùs & promptiùs actionibus organicis, debitam magnitudinem conſequantur.

§. LXXXVI. Cùm enim principia corporis activa ſint in perpetuo motu, adeoque continuam patiantur, partim alterationem, partim jacturam, neceſſe eſt, ut horum redintegratione etiam totius vitæ vigor vitalis & reſtauretur, &, quantum poſſibile exaltetur.

§. LXXXVII. Nam ſpiritus continuò ſub actionum exercitio ſubtilitate ſuâ magnam partem evaneſcunt & diſſipantur, per poros aliavè loca frequenter exhalantes, in quorum ſupplementum impenditur ſanguis, cujus maſſa præterea quoque in partibus ſolidis, nunc in earum ſubſtantiam perfectè convertitur, nunc verò alterata nonnihil ſaltem in iis per earum poros tota ſucceſſivè inſenſibiliter transmittitur, tàm naturaliter poſt accretionis annos, quàm p. n. per exercitia, aut vehementiores corporis motus, aut alias ſimiles cauſas.

§. LXXXIIX. Ut taceam *partes* maſſæ hujus *effœtas*, per crebriores circulationes, & in præcordiis ſuſceptas fermentationes, reſolutas copiosè itidem per cutim exhalantes; & denique unà cum his ex partibus ſolidis, imprimis carnoſis, humorem roſcidum & mucilaginoſum, ceu proprium earum nutrimentum, ex maſſa ſanguinea elaboratum, ſenſim ſenſimque per poros diſſipabilem; ita ut maſſa ſanguinea ſit in continuo reſtaurationis & perditionis motu, & pluribus juxta SANCTORII *Staticam Medicinam* unicâ die naturali per inſenſibilem exſpirationem tantum evacuetur, quantum per alvum 15. dierum curſu.

§. LXXXIX. Perditio verò hæc nullo modo fit à ſolo calore, cùm hujus actio, præſertim ſi vivâ flammâ non fuerit accenſus, univerſim omnia humida miſta ſiccet in tophum ac carbonem, & copioſam remanentiam relinquant, ſecus atque in corpore noſtro evenire ſolet, cùm nullibi tale ſanguinis caput mortuum naturaliter obvium ſit.

§. XC. Quin potius fermentorum in corpore & aëris inſpirati adjumento in tantum reſolvitur & volatiliſatur maſſa ſanguinea, & exinde ſeparandus nutritius ſuccus, ut vel ſponte vel leni accedente calore totus à ſero abſorptus ſucceſſivè exhalet.

§. XCI. Ut ergò inſignes hi defectus reſarciantur, ſimul quoque corpus materiæ appoſitione ad legitimam perveniat magnitudinem, alimentorum aſſumendorum & hinc elaborandi nutrimenti imminet neceſſitas, quibus reſtaurentur partim partes abſumptæ, nutrimenti appoſitione & aſſimilatione, in quo conſiſtit *nutritio*, partim augeantur membra omnia perfectiore ejus agglutinatione pro aptitudine ad functiones faciliori, in quibus conſiſtit *augmentatio & accretio*.

§. XCII. Ita ut *nutritio & auctio* ſaltem majoris & minoris ratione differant, quod nempe *nutritio ſit inchoata auctio, & auctio perfecta nutritio*: quarum illa, ſc. nutritio, per totum vitæ curſum, hæc ſeu *auctio* ſaltem ad certos annos, tam ob partium augendarum ad majorem extenſionem reſiſtentiam, quàm ob nutrimenti pro perfecta aſſimilatione & agglutinatione ineptitudinem, perdurare naturaliter ſolet.

§. XCIII. *Tribus ergò actionibus, appoſitione, aſſimilatione & agglutinatione abſolvitur nutritio & accretio. Appoſitio* ſimplici mechanicâ per poros partium transcolatione & quaſi filtratione peragitur: *aſſimilatio* verò, & per coagulationis modum firmior *agglutinatio*, non ſine motu transmutationis fermentativo, ab occulto partium volatili acido fieri, hincque omnis muſculus ſuum habere ſtomachum, i. e. digeſtionem, videtur:

§. XCIV. Fiunt nempe *ſuccorum alterationes* iſtæ, quæ dicuntur concoctiones, in corpore noſtro omnes per *fermenta & fermentationes*; ſicut *ſeparationes* unius ab altero per transcolationes & filtrationes mechanicas, eorum verò *retentiones* & variæ motiones per ſolas *propulſiones*, beneficio partium fibroſarum ſtructuræ & texturæ, ſine ulla *attractione*.

§. XCV. Præter dictas neceſſitates aſſumendorum alimentorum externorum ad conſervandum eſſe vitale corporis noſtri, ulteriùs ſenſilem ſtimulum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0025-1 DFG

lum ventriculo pro iisdem implantavit natura in *fame & siti* quarum illa in molestiæ cujusdam sensu circa orificium ventriculi superius seu sinistrum, ab acido fermentativo salso volatili succo excitato, in fundo ventriculi & tunica ejus crustosa hærente, oritur; unde ab ista sensibili perceptione & vellicatione excitatur desiderium solidorum alimentorum, quod *Fames* dicitur.

§. XCVI. Prout autem variat hic *succus esurinus*, tam in singulis speciebus animalium, quàm in singulis individuis hominum, tàm naturali à causa, quàm ex p. n. vitio alteratus, etiam *determinata fames* oritur, secundùm quam succo tali appropriato saltem appeti solent.

§. XCVII. Nec procedit *fames à venarum suctione*, quia sequeretur, quod in omni hæmorrhagia largiori necessariò excitaretur fames, cùm tamen contrarium præbeat experientia; neque à calore, quia in febribus ardentibus, fervente licet stomacho, minimè tamen appetimus. Fames potiùs radicaliter consistit in orificio ventriculi sinistro, formaliter in appetitu seu desiderio alimentorum.

§. XCIIX. Sicut econtrà *determinata* quorundam alimentorum *aversatio* oritur; vel à vi imaginationis, utplurimum matris gravidæ, stomacho infantis certum quasi characterem imprimentis; vel à quadam læsione, ab assumpto quodam stomacho inductâ, & hujus læsionis quasi ibidem infixa memoria.

§. XCIX. *Sitim* quod attinet, consistit hæc in vellicatione, aut insignioris molestiæ cujusdam circa fauces, seu in expanso pharynge, difficili sensu, oriundo ab acrioribus salibus salsis, aut acrioribus alcalinis, membranas faucium vellicantibus & pungentibus, concurrente subinde salivæ, non ritè diluentis dicta salia acria, nec fauces sufficienter abstergentis, defectu, sitim ita exasperante.

§. C. Defectus hic salivæ est causa sitis privativa; sicut econtrà acrimonia ejus salsa tanquam causa positiva est, à qua dependet sitis hydropicorum.

§. CI. Hujus sitis molestiâ stimulamur ad assumenda *liquida aquea*, quo simpliciora, eò meliora, cùm saltem, ut pro vehiculo solidorum alimentorum inserviant, à natura postulentur.

§. CII. Solida ergò alimenta assumpta, antequam stomacho transmittuntur, prius per *masticationem* in ore, ad meliorem sui transmutationem, præparantur, beneficio comminutionis & contritionis à dentibus, imprimis maxillaribus, ut & beneficio eorũ cum saliva permistionis & subactionis.

§. CIII. *Saliva* est lympha sui generis in *glandulis conglomeratis* maxillaribus, (ubi & parotides subintelliguntur) & stomaticis copiosis, tam palatinis quàm sublingualibus, (quibus etiam tonsillæ addi possunt) è sanguine arterioso instar spongiæ emulcta, & in os propriis ductibus effusa; *constans primariò copiosâ parte aqueâ* seu serosa, *quæ subtili & occulto acido volatili oleoso, & spiritu animali oleoso per nervos advecto, est impregnata*, unde cibis conjuncta facillimè attenuativam, incisivam & fermentativam obtinet virtutem.

§. CIV. Glandulæ in & circa os sitæ generali nomine *stomaticæ* vocantur, & habent hæ nervos ideò, ut beneficio fibrarum obscurum motum habeant. Vim fermentativam inesse salivæ, patet ex eo, quia mediante illa morbi contagiosi solent propagari; sicut etiam scorbutus, lues venerea, & alii morbi, possunt cum ea communicari.

§. CV. Propter quos fines etiam alimentis sub masticatione intimè permiscetur, ut ejus medio ad meliorem & fermentationem in stomacho, & faciliorem ferment. stomachici ingressum, præparentur; cùm saliva hæc cum fermento dicto magnam analogiam & convenientiam, adeoque homogeneam quodammodo naturam, habere videatur.

§. CVI. Præter quem *usum primarium saliva*, dum nempe partes aquosæ alimenta attenuando & resolvendo, salina acidula eadem incidendo & penetrando, spiritu volatili subtilisando, adeoque instar fermenti farinaceæ massæ additi, fermentationem in stomacho facilitat, ita ut saliva præstet alimentis digestionis inchoamentum, succus verò ventriculi tandem ejus complementum; *secundariò* etiam confert saliva (1.) fermentum stomachale ex parte restituendo promovere saporum perceptiones (2.) fauces & gulam pro faciliori deglutitione lubricando (3.) linguam & os pro faciliori illius motione & loquela humectando (4.) sitim, alias perpetuò molestam, faucium abluitione restinguendo.

§. CVII. Tanta nempe hujus præparationis in ore est necessitas, ut comminutionem non sufficientem quamplurima animalia, imprimis cornigera, quæ utplurimum superiore dentium ordine carent, & ob id masticare convenienter non possunt, ruminando resarciant; salivæ verò deficientis permistionem aves in ingluvie absolvunt. Observantur etiam homines ruminantes, quorum sc. ventriculus musculosus existit.

§. CIIX. Promota ita masticata alimenta ad stomachum transmutantur ibidem in *liquorem pultaceum*, secundùm veteres cremori ptisanæ similem, Chylus appellatum, idque beneficio fermentationis planè singularis, quam calor stomachi & ambientium viscerum non leviter promovet.

§. CIX. Fermentatio hæc, qua transmutantur alimenta in chylum, dependet imprimis à succo subtili acido salino stomachi, qui partim instar menstrui dissolvit cibos, partim volatili aciditate cum alimentorum particulis dissolutis, in specie salinis alcalibus, fermentationem efficit, & ita utraque actione successivè eadem in aliam substantiam transformat.

§. CX. Autores multi in stomacho voluerunt *facultatem quandam* χυλοποιητικὴν, quæ juxta calorem primarium esset digestionis organum. Sed posito, quod ea detur, nescimus tamen quid sit, nec potest explicari, quomodo concurrat, & unde dependeat? Imprimis tamen hanc facultatem refellunt curiosiores operationes Chymicæ, artis beneficio chylum artificialem in vitro repræsentantes. Sic Tachenius in Hipp. Chym. suo asserit, se beneficio liquoris cujusdam novi volatilis quæcunque alimenta, concurrente simul calore, in chylum mutare posse.

§. CXI. Hinc ea omnia, quæ vel sunt *duriora*, adeoque difficulter solubilia, vel *quæ sunt sale volatili multum depauperata, ut alimenta vel exsiccata, vel sale condita, vel fumo indurata, solent esse difficilis digestionis.*

§. CXII. Maximi momenti negotium est hæc alimentorum fermentativa digestio, cùm hac ipsâ eadem disponantur, & ad heterogeneorum maturam in intestinis separationem, & ad promptiorem in præcordiis spirituascentiam & volatilisationem: id quod sine exacta fermentatione fieri nequit. Hinc in iis, in quibus aut imminuta, aut eruditate acidâ depravata est hæc fermentatio stomachi, ut in cachecticis; in his debita sanguinis maturitas & spirituascentia, adeoque debitus corpori deficit vigor.

§. CXIII. Præsentiam hujus fermenti acido-salini

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0026-7 DFG

lini esurini in stomacho testantur *ructus acidi* in sanis, & quorum optimus est stomachus, naturaliter subinde præsentes, qui ipsi & in apepsiis, lienteriis & dysenteriis supervenientes, ejusdem restituti sunt indices: hinc *illa acida volatilia*, speciatim *panis*, tàm grata & amica sunt stomacho, quatenus suo modo sunt homogenea, & à ♂ialium usu frequentes nidorosi sulphurei ructus erumpere solent, similes iis, qui odoratu sensibiliter percipiuntur, quando ♂tis limaturæ spiritus acidus, nempe salis, affunditur. Unde & pinguia, quæ acrimoniam fermenti hujus obtundunt, uti appetitum prosternunt, ita & digestionem in stomacho turbare & impedire solent.

§. CXIV. *Origo fermenti* hujus primariò ex *tunica stomachi glandulosa* interna, ex qua talis lympha fermentativa quasi transsudat, quæ in rugis ejus obvias habet reliquias quasdam alimentorum prius digestorum, morâ diuturniori non leviter acescentes, & à saliva continuò deglutita insigniter subactas, & ad fermenti aliqualis naturam exaltatas: quæ omnia mutuâ unione liquorem hunc fermentativum constituere, probabilissimè videntur.

§. CXV. Helmontius, Arabum insistens vestigiis, originem fermenti stomachici ex liene derivat, dum hunc & stomachum singularem intercedere duumvitatum statuit: sed refutant hanc sententiam sufficienter canes, post exsectum lienem strenuè vorantes, imò pinguescentes.

§. CXVI. Et ita fermentantur alimenta, ut ea, quæ prius in stomacho acescerent, non leviter successivâ fermentatione transmutentur ita, ut aut planè, aut maximam partem, deposito acore isto, abeant in massam nunc salso-insipidam, nunc nonnihil in salso-acidam, semper tamen naturaliter volatilem, variâ licèt sub temporis morâ, dum in uno citiùs, tardiùs in altero, ob varias circumstantias negotium hoc absolvatur.

§. CXVII. Chylus hic digestus ita delabitur successivè per pylorum in intestina, apparenter quidem homogeneus, cui tamen non paucæ partes heterogeneæ, œconomiæ animali conservandæ ineptæ, subsunt, quæ in intestinis, antequam aliorsum pergant, probè separandæ.

§. CXIIX. Separatio hæc fit mediantibus duobus istis succis, *biliosо* & *pancreatico*, in fine duodeni & principio jejuni in intestina effusis, ibidem chylum diluentibus, blandam in & cum eodem effervescentiam excitantibus, & ita crassiores, viscidiores, & quasi caseosiores ejus partes præcipitando, separantibus, uti in fluxu alvi icteritio, it. cæliaco, sufficienter patet.

§. CXIX. *Bilis* quidem excrementorum catalogo male olim fuit adscripta, cùm in se reverà utilissimus balsamicus sit liquor, & condimentum quasi balsamicum chylo ipsius & totius massæ sanguineæ conservatione ab omni corruptione putredinali, instar myrrhæ cujusdam aloësvè additum; unde & vermium facilem ex chylo generationem quantum possibile, prohibet, rectè HELMONTIO dicente: Ubi deficit bilis fermentum, ibi lumbricorum patria.

§. CXX. Præterea quoque bilis volatili oleoso suo sale, ceu essentiali ejus constitutivo, si quid manifesti & p. n. acoris toti corpori hostilis, adhuc in chylo superest vel inest, hoc destruit, & in salsum tertium volatile transmutat, simulque chylum totum optimè diluit, & fluxiliorem ac liquidiorem reddit, fæcumque excretionem sic per accidens optimè promovet.

§. CXXI. Nec improbabile est alii quod asserunt, bilem oleositate suâ sulphurea occultâ quasi tingere chylum, adeoque primam pro faciliori in sanguinem transmutatione dispositionem addere, ut hujus tincturæ sulphureæ medio exaltari faciliùs, ac in rubrum sanguinem converti possit: cujus defectu cachexiæ & leucophlegmatiæ, anasarcæ & quidam hydropes ex parte oriri videntur.

§. CXXII. Concurrit cum bile eodem in loco *succus pancreaticus*, *subinde acidus*, plus minus tamen, in animalibus repertus, qui chyli, dicto modo à bile alterati, crassiores & quasi caseosas partes leniter coagulando præcipitat, & blanda quadam cum bile fermentatione, in statu p. n. verò effervescentiâ, dictarum fæcum separationem insigniter adjuvat.

§. CXXIII. Chylus ita in intestinis tenuibus alteratus & perfectus, & à scybalis recrementosis depuratus, per intestina leni pressu ulteriùs distribuitur mediante motu illorum peristaltico, sub quo successivè succus subtilior & tenuior nutritivus oscula vasorum lacteorum meseraicorum in intestina hiantium intrat.

§. CXXIV. Ex his continuato motu fertur in *commune* lumborum *receptaculum* seu cysternam chyli in homine pariter ac brutis membranosam, unde ulteriùs per ductum thoracicum in venam axillarem sinistram infertur, ubi cum sanguine redeunte mistus dextrum influit cordis ventriculum.

§. CXXV. Nam repertis vasis lymphaticis ductæ sunt hepati, quoad sanguificationis negotium, exequiæ, cùm nulla vasa lactea ad ejus deriventur viscus; & quod venæ sanguiferæ meseraicæ aliquam ejus portionem invehant cum sanguine, adhuc experimentis Anatomicis probandum venit.

§. CXXVI. Nullæ quoque hactenus detectæ sunt viæ, quibus immediatè chylus pro materia lactis, genituræ, nutrimenti fœtus in utero, &c. ad hæc loca distribuatur, quin potiùs mediatè chylum ex arteriis nondum sanguini assimilatum in dictis & aliis locis emulgeri probabilissimum videtur.

§. CXXVII. Urinæ tamen materia, an omnis ex sanguine in renibus transcoletur, & nulla ex primis viis à chylo immediatè separata ad loca urinaria, quæcunque etiam sint, viis licet hactenus in locis abdominis adeò impeditis, nondumque detectis, deferatur, vix probabile videbitur consideranti diabeticos eodem colore, sapore & odore vinum rubellum v. g. loco urinæ excernentes, semina anisi & coriandri integra excreta, citum acidularum transitum, violaceum brevi post assumptam terebinthinam odorem, &c. adeò ut ob id alii inter urinam potus & urinam sanguinis distinguere moneant.

§. CXXIIX. Ubi ergò cum sanguine chylus in vena axillari permistus ad dextrum cordis ventriculum pervenerit, ex eo ulterius derivatur per arteriam pulmonalem seu venam arteriosam in pulmones, ex his verò per venam pulmonalem seu arteriam venosam infunditur in sinistrum cordis ventriculum, ex quo impellitur in arteriam magnam seu aortam, per quam derivatur in universam corporis machinam, ubique tamen resorbetur per venarum surculos, qui omnes tandem in venam cavam desinunt, ex qua omnis liquor dextro cordis ventriculo denuò infunditur.

§. CXXIX. HARVÆUS & CONRINGIUS vulgò habentur primi Inventores circulationis sanguinis: sed reverà non sunt, & notitiam hujus demum acceperunt à PAULO SARPA, Veneto Monacho Ordinis servitæ, qui reverà primus & verus inventor est hujus circulationis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0027-3 DFG

§. CXXX. Confusus ita cum sanguine chylus in venis axillaribus sensim sensimque subigitur, & successivè alteratur, ac in sanguinem mutatur, quæ actio speciatim in aut circa cor absolvi videtur : in quo sanguificationis negotio tamen cor, ipsique annexa vasa, se habent saltem passivè, locum saltem, his liquoribus pro motu & transitu meliori concedentibus ; ita ut saltem antliæ munere in machina hacce hydraulica cor fungatur.

§. CXXXI. Nam *sanguificatio non est actio organica, sed saltem purè similaris*, adeoque propriè loquendo nullum corporis viscus organorum sanguificationis nomen merebitur, sed cor saltem vas erit, per quod sanguis, pro insigniori hac mutatione in præcordiis, movetur.

§. CXXXII. Reverà enim nil aliud est cor, quàm musculus compositus, & musculorum in modum movetur, ita quidem, ut sinister ventriculus propriè cor appellandum sit, cujus tantùm appendix est dexter ventriculus, propter pulmones solummodò fabricatus, ut ex hoc meliùs & commodiùs in pulmones fiat sanguinis propulsio, pro subeunda maximè necessaria ad vitam alteratione ab aëre, & per hos ad sinistrum sinum seu cor primarium promotio.

§. CXXXIII. Chyli in sanguinem transmutatio vix aliter, præterquam per fermentationis motum fieri videtur, quem ab aëre inspirato, chylum sanguini assimilante, & sanguinem in spiritus volatilisante, non pauci probabiliter deducunt.

§. CXXXIV. Probabilior tamen adhuc eorum videtur assertum, qui *sanguinem ipsum*, prout in se principiis fermentativis, in specie salinis & oleosis volatilibus turgescit, *chylum* permistum *transmutare*, & successivè sibi assimilare mediante motu suo fermentativo, chylum subigente & alterante, & in similem sibi naturam pedetentim convertente, asserunt.

§. CXXXV. Promovetur insigniter hæc sanguinis fermentatio, & consequenter chyli assimilatio ab aëre in pulmones inspirato, cujus medio & attenuatur & volatilisatur & spirituascit insigniter, & propter salino-sulphuream mixturam incalescit eadem, & vitali quasi calore incenditur.

§. CXXXVI. His positis facilè patebit, successivis & repetitis per cor & pulmones circuitibus perfici chyli sanguificationem: ob id enim non naro *semilacteus* adhuc etiam in sanissimis sanguis vena secta apparuit, aut saltem supernatans cruori coagulato serum leni igne inspissatum *gelatinam lacteam* relinquet, quæ phænomena à chylo nondum sanguini assimilato oriuntur.

§. CXXXVII. Unde & tot prostant observationes *sanguinis albi instar lactis* ex vena secta emissi, etiam in sanis hominibus, ob chylum sc. nondum ritè assimilatum : imò ipsæ sanguinis fibræ rubicundæ apparentes reverà albicant, & chyli videntur proles.

§. CXXXIIX. Ita ut vitalis ista massa, quæ per arterias & venas circulatur, *duplici constet substantia, chylosa & sanguinea, cum utriusque communi vehiculo, sero : non quatuor istis humoribus, quatuor elementis & temperamentis analogis.*

§. CXXXIX. Nam quæ in venæ sectione emisso cruore post hujus congrumationem & cadaverisationem reperitur sanguinis, in superficie floridi & in fundo nigricantis differentia, partim ab aëre superficiem refrigerante & attenuante, partim à cruoris in fundo tepore ipsum magis putrefaciente, dependet.

§. CXL. Propellitur sanguis & chylus ex corde per arterias in universum corpus, & hinc per venas ad idem punctum, nempe cor, redit, unde in circulum recurrens *circularis motus* dicitur, qui à corde, sui parenchymatis musculosi contractione, & ita cavitatum propriarum angustatione, & hinc contentorum impetuosa expulsione, primariò dependet.

§. CXLI. *Proprius* itaque *cordis motus* est ejus *contractio* seu *systole*, *improprius* verò est *dilatatio* seu *diastole*: ibi enim agit & sanguinem exprimit, sicque à sanguinis in arterias ejaculatione harum dilatationem & pulsum efficit, hic verò patitur, dum à sanguine irruente ex venis ejus parietes distenduntur, & ita molestiâ quadam sensibili afficiuntur.

§. CXLII. Cor à sanguine, ex auriculis in ejus ventriculos, imprimis dextrum, illapso & turgescente, expanditur, quâ expansione fibræ, cordis parenchyma constituentes, extensæ irritantur, h. e. nimio distensionis & læsionis sensu afficiuntur, inde confertim per nervos spirituum animalium fit irruptio, adeoque fibrarum & consequenter totius cordis contractio: Pro ratione enim aliorum musculorum etiam cor à spiritibus animalibus per nervos influentibus in motum cietur.

§. CXLIII. Continuato tali sanguinis impulsu per totum corpus mediantibus arteriis propellitur, eodemque mediante in venas & per has in cor denuò impellitur ; ita ut toto hoc circulari motu sola *propulsio*, nulla verò *contractio* contingat.

§. CXLIV. Redit autem toties per orbem ad cor sanguis, ut ibidem imprimis in pulmonibus novo vitali vigore impræguetur, h. e. de novo volatilisetur, spirituescat, fermentetur & incalescat.

§. CXLV. Exinde verò per omnes corporis partes in genere pro earum nutritione distribuitur, ita quidem, ut partes sanguineæ rubicundæ *sanguinis nomine propriè veniant*, partes verò spermaticæ seu nerveæ albicantes chylo cum massa sanguinea distributo nutriantur & conserventur.

§. CXLVI. Exprima enim fœtus in ovo formatione innotescit, partes ex duplici materia, nempe partim seminali ceu chyloso colliquamento, partim sanguinea formari & componi, unde & pro nutritione & augmentatione talium partium duplex nutrimenti genus, chylosum seu lacteum & sanguineum, requiritur.

§. CXLVII. Mediâ autem inter utrumque cordis ventriculum viâ intercedit pulmonum viscus, per cujus spongiosum seu potiùs vesiculosum, h. e. ex copiosissimis parvis vesiculis angularibus, simplici membranâ constantibus, invicem connexis compositum parenchyma transvasatur sanguis, dum chylus, huic permistus in vena axillari sinistra, pergit in truncum venæ cavæ descendentis, & ita in dextrum cordis sinum, ex quo per arteriam pulmonalem seu venam arteriosam in pulmones derivatur, ex pulmonibus verò per venam pulmonalem seu arteriam venosam transfertur in sinistrum cordis sinistrum.

§. CXLIIX. Sensilis est pulmonis infantis vivi & in utero mortui differentia ; siquidem frustulum pulmonis infantis nondum editi, aquæ immissum fundum petit, vivi verò supernatat eidem : & ex hac δοκιμασία collectio fit infantis occisi. Cùm enim pulmo embryonis sit crassior, nec satis porosus, hinc respiratione semel factâ spongiosus fit, & sic supernatat.

§. CXLIX. Fieri hoc nequit, nisi pulmones dilatentur & expandantur, adeoque sanguini transeunti patefiat aditus; id quod fit, quatenus diaphragmatis figura mutatur in planam, unde & cavitatem in ima thoracis parte, & viscerum abdominis depressionem, & illorum majorem protuberantiam, efficit.

§. CL. Concurrit simul costarum deorsum versus incur-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0028-9 DFG

incurvatarum per musculos serratos & subclavios sublatio, & ita cavitatis thoracis major ampliatio, *unde ab abdomine foras protuberante, & thorace extrorsum dilatato, necessariò simul aëris ambientis sequitur protrusio.*

§. CLI. Qui eodem momento partim ita protrusus, partim propriâ gravitate ac vi laterali facto impetu ruit in pulmones, eosque per se immobiles instar utris inflat & distendit, quod *Inspiratio* dicitur: sicut diaphragmate denuò relaxato, & costis deorsum demissis, pulmonũ compressio & *aëris exspiratio* accidit.

§. CLII. *Necessaria* admod. aëris *est inspiratio*, cùm hac deficiente omnia intereant animalia; non tamen refrigerium cordis & sanguinis, aut hujus à nitroso aëris sale condensatio, primarius ejus est finis; cùm talia in calore viventium naturaliter constituto, aut in senibus vel cachecticis tepescente, nullum locum obtineant.

§. CLIII. Sed potiùs usum vitæ nostræ simpliciter necessarium aër inspiratus sanguini præstet, unde & hic omnis prius per pulmones, quàm per cor, circulatur, ita ut ad eam sanguinis vitalem restaurationem, quam in præcordiis acquirit, imprimis faciat, ut *suprà* §. 144. dictum: idque beneficio salis sui volatilis universalis, ratione cujus occultum vitæ cibum aëri inesse, Hermetici rectè asserunt.

§. CLIV. Ubi in arteriam magnam impulsus est sanguis, exparte deorsum per arteriæ aërtæ truncum fertur, & inter varios illius ramos arteriam splenicam, atque hoc mediante lienem ingreditur, exindè per venam splenicam ad truncum venæ portæ ac hepar distribuitur: ita ut hæc comũnicatio insignium horum viscerum, lienis & hepatis, *dum omnis sanguis ex liene immediatè ad hepar defertur, singulare quid in recessu habeat*, ulteriori scrutinio indagandum, utpote sine quo officium eorum vix debitè explicari poterit.

§. CLV. *Lienis viscus* constans membranarum congerie, in cellulas & multiplices concamerationes efformatarum, per quas glandularum minimarum copiosi *racemi uvæ botrum æmulantes dispersi* sunt.

§. CLVI. *Non autem est simpliciter ad Esse vitale* animalium necessarium, cùm canibus & suibus sine ulla sensibili functionum læsione exscindi queat.

§. CLVII. Sed tantùm ad *bene Esse* confert, ita ut ad majorem saltem sanguinis perfectionem, sed accidentalem tantùm, facere videatur, quatenus in lienis glandulis, percurrentibus spiritibus animalibus, tale fortè fermentum elaboratur, quod sanguini inspiratum vel ad faciliorem chyli transmutationem faciat, vel potiùs partium sanguinis heterogenearum nec ritè miscibilium separationem ita promoveat, ut commodè per convenientia loca, in specie renes &c. evacuari possint.

§. CLIIX. *Hepar* ingreditur omnis iste sanguis, qui partim ex splene, partim ex intestinis per venam portæ, vehitur, *cujus parenchyma ex glandularum globulis, copioso sanguine suffusis & irrigatis compositum*, hactenus soli bilis transcolationi, denegato omni sanguificationis officio, fuit destinatum.

§. CLIX. Equidem bilem istam omnem, quæ per ductum hepaticum ad intestina amandatur ex hepate derivari certum est: sed bilis, quæ in felleo reperitur folliculo, in hoc ipso potiùs generatur ex sanguine, per arterias cysticas eò allato; ita ut maxima etiam ejus pars per cysticum ductum ad intestina demandatur: dum intereà etiam aliqualis ejus portio per exiles ductus, ex ejus fundo in hepar dispersos, in hoc derivetur, probabiliter ad promovendam bilis ex sanguine in hepate faciliorem separationem.

§. CLX. Sanguis ulteriùs per arterias emulgentes distribuitur *ad renes*, ex quibus per venas emulgentes redit, ut ibidem serum salibus partim superfluis, partim recrementosis aliisque sanguinis impuritatibus impregnatum, transcoletur & separetur.

§. CLXI. Est scil. *in sanguine latex aquosus, alias serum commune, tàm succorum nutritivorum quàm excrementorum, vehiculum*, cujus medio illi per universum distribuuntur corpus; hi verò in certis colatoriis separantur & amandantur: quod si fiat per renes, *Urina* appellatur; sin vero per cutis poros, *Sudoris* nomine venit.

§. CLXII. *Renum corpus*, quoad extimas partes, constat *fibris quamplurimis subtilibus, perforatis tamen in corpus papillare tortuosum*, medium eorum corpus constituens, desinentibus, de quibus vid. *LAVRENT. BELLINVS, Italus.* Illas ergò fibras serum sanguinis ingreditur, indeque ad corpus papillare pergit, per cujus minutos & innumerabiles porulos transsudat ad membranam interiùs expansam, unde per ureteres ad vesicam descendit, sanguine ipso à venis emulgentibus intereà resorpto.

§. CLXIII. *Urina* hæc *sanguinis est propriè loquendo lixivium quoddam volatile, seu aqua sale salso sulphureo*, adeoque primariò alcali, secundariò acido, ambobus volatilibus pinguedine sufficienti temperatis, composito, sed superfluo, impregnata: quibus subinde, sed præternaturaliter, & talia massæ sanguineæ recrementa varia se sociant, & unà eliminantur. *Potus* quod attinet *urinam*, de hac *suprà* §. 127. actum.

§. CLXIV. Post renes excurrit sanguis ulteriùs per arterias ubique ad *glandulas* per universum corpus disseminatas, easque tam *conglomeratas*, quàm *conglobatas*: quarum *illæ* magis compositæ liquorem emulctum in certas cavitates pro peculiaribus usibus effundunt; *hæ* magis simplices eum per lymphatica vasa, quorum truncus communis est ductus thoracicus, in venam axillarem sinistram sanguini denuò infundunt.

§. CLXV. Conglomeratarum liquor, prout eædem sunt vel laxioris vel firmioris texturæ, variat: Illæ serum lacteum emulgent, ut sunt mammariæ, tonsillæ; hæ serum aquosius subtilius, sale volatili vel salso vel acidulo impregnatum, separant, ut pancreas, parotides, lachrymales glandulæ &c.

§. CLXVI. Conglobatæ verò glandulæ lympham efficiunt, eamque omnem ab interioribus infra cor partibus per ductum thoracicum sanguini per venam axillarem sinistram infundunt, sicut eodem loco omnis in superiori regione confecta lympha per similes lymphæ ductus, vasa lymphatica dicta, ibidem infunditur.

§. CLXVII. *Lymphæ hujus materia primaria probabiliter statuitur nutrimentum partium roridum ministerio glandularum collecta, in quod condensantur spiritus animales, in partes quascunque per nervos allati: dum enim non penitus dissipantur exercitio aut laboribus, cum latice seroso alimenti, omnium partium vehiculo, se jungunt, & ita subtilitatem spirituosam amittunt, ac denuò in halituosam, tenuem & aqueam condensantur substantiam, adjuvante non parum artuum frigidiore præ aliis partibus constitutione.*

§. CLXIIX. Limpida talis spirituosa aquea materia à glandulis conglobatis imbibita, impregnatur in his ex sanguine arterioso subtili acido-salso sale, quæ junctim sumpta lymphæ liquorem aquosum spirituosum constituunt nonnihil acidulum, qui suprà dictis locis sanguini permiscetur.

§. CLXIX. Finis, propter quem sanguini in vicinia cordis & pulmonum, ubi de novo magis animanda est, lympha hæc venæ axillari sinistræ infun-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0029-7 DFG

ditur, est non tantùm ut diluat & fluidiorem reddat sanguinem, sed in specie chylo imprægnata, ut instar materiæ sanguinis in præcordiis renovationem & restaurationem vitalem adjuvet, & insigniter promoveat.

§. CLXX. Pertingit sanguinea massa ulteriùs ad totam corporis peripheriam extimam, ejusque integumentum *cutis*, quæ *est reticulare corpus ex fibris nerveis copiosis, & capillaribus arteriarum & venarum* vasis seu *fibris sanguineis contextum*, ob id naturæ mixtæ, sanguineæ & spermaticæ seu nerveæ, imprimis tamen tendinosæ, esse dicitur.

§. CLXXI. Interstitia hujus texturæ occupant glandulæ copiosæ minutæ, ex conglomeratarum genere *miliares* dictæ, *vase suo excretorio foras hiante*, & cutis *poros constituente*, instructæ, quæ veri fontes sunt sensibilis Transsudationis, & insensibilis Transpirationis.

§. CLXXII. Serosus nempe sanguinis latex, uti absorbet superflua & recrementosa sanguinis salia naturaliter, aliasque ejus sordes præternaturales; ita, salinâ hâc vi, instar saponis abstergit & abluit suo transitu solidarum partium sordes ex nutritione superfluas, aut ipsum nutrimentum non perfectè agglutinatum, sed diuturniore morâ effœtum redditum: quæ omnia jam antea sufficienter attenuata & volatilisata ex capillaribus vasis per dictas glandulas emulgentur, & accedente blando calore plus minus copiosè sine capitis mortui remanentia notabiliter emittuntur.

§. CLXXIII. Sanguineum vitale nectar ubertim etiam derivatur ad *cerebrum* & *cerebellum*, imprimis per arterias carotides & vertebrales, quarum exiles & capillares quasi surculi ubique superficiem ejus densè obducunt, & tandem in sinus duræ matris sanguinem infundunt, qui venis jugularibus continui in has proximè, & inde in venam cavam, se exonerant.

§. CLXXIV. Observabilis est in cerebro & cerebello duplex substantiæ diversitas, *corticalis* nempe subcineritia, & *medullaris* eleganter candida. *Illa ex copiosissimis glandulis minutulis ovalis figuræ constat*, in quas se insinuant dicta vasa sanguifera: *hæc ex filamentis & ductibus nerveis delicatissimis*, invicem certo ordine convolutis, & tandem in nervos abeuntibus, est constructa.

§. CLXXV. Substantiæ talis diversitas diversum itidem usum innuit: *cortice enim* mediante spiritus volatiles sanguinis, vitales dicti, separantur à sanguine, & per subtilissimæ filtrationis modum agiliter penetrando transeunt in cerebri medullam, sanguine ipso, ceu crassiori corpore, ob pororum angustiam, vehiculo ejus aqueo ob pinguiorem & oleosam quasi cerebri substantiam, exclusis.

§. CLXXVI. In ipsa verò *medullari substantia*, ceu regio palatio, spiritus dicti volatiles luminosi, *animales* nunc appellandi, debitis motionibus & expansionibus, & inde per nervos in omnes partes radiosis excursionibus operationes animalibus proprias, *sensus* in specie *internos* & *motus* perficiunt.

§. CLXXVII. Constituunt enim hi primariò *animam sensitivam*, tàm brutorum quàm hominum, cùm sint primi Autores actionum animalibus propriarum, tàm in operationibus modò dictis, quàm in genitalibus etiam.

§. CLXXIIX. Quæ utut sint variæ & distinctæ, determinatur tamen spiritus animalis specie & essentiâ unus, adeoque ad varias actiones indifferens, pro varia partium organica dispositione & proprietate. Nam is ipse, qui movet pedem vel musculum, conferret etiam suo modo ad visum, si esset in oculo, & sic consequenter in aliis.

§. CLXXIX. Quod si dicti spiritus in debita quantitate & subtilitate blando & moderato, eoque ordinato motu agitentur, indeque cerebrum implendo proprio motu quodammodo expandant, & ita ex eodem secundùm filamentorum cerebri medullarem substantiam constituentium ductum continuato quasi rivulo aut radio in corpus, omnesque ejus partes influant, actionum animalium omnium sequitur exercitium, adeoque Vigiliæ.

§. CLXXX. Sin verò quacunque ex causa perturbati inordinato, vago, & subinde imperuoso cieantur motu, in cerebro exinde deliria varia, speciatim phrenetica; in partibus verò reliquis spasmi & motus convulsivi, interdum mirabiles, excitantur.

§. CLXXXI. *Officia*, quibus *præsunt animales spiritus*, sunt *sensus & motus*, utrique *interni & externi*. *Externos* quod attinet *sensus*, cùm hi reverà consistant in passione seu motione organi, inducta ab objecto externo sensili, per certam ab hoc factam impressionem seu motum, adeoque saltem in motione filamentorum nerveorum organi, in iis *spiritus animales hoc saltem præstare videntur, ut suo influxu filamenta nervea* organa sensus proximè constituentia *in debito tono & tensione conservent, quo faciliùs ab objectu externis moveri, & ita sensatio externa fieri possit*.

§. CLXXXII. Exposita scil. est corporea nostra machina quorumcunque corporum *ambientium* activitati & insultui. Hæc ergò ambientia, dum in partem quandam agunt, motionem certam inducunt in ejus nervis, quæ motio seu ab objecto externo facta impressio continuato nervi ductu, ad cerebrum usque, seu ad nervi originem, continuatur.

§. CLXXXIII. Quem ibid. insequitur determinatus spirituum animalium, in vicina cerebri medulla motus ab isto excitatus, qui constituere videtur *sensum internum*, occasione cujus anima rationalis in nobis format conceptum seu ideam, repræsentantem exactè rationem externæ impressionis, fitque tunc formalis cognitio seu sensuum, externorum mediantibus internis perceptio: id quod *dolor imaginarius* eorum, quorum partes fuêre abscissæ, illustrare videntur.

§. CLXXXIV. *Vires istæ* objectorum, quæ vulgò *qualitates sensiles* dicuntur, quibus ambientia corpora agunt in certas corporis partes, *organa sensoria* dictas, consistunt saltem in certa talium corporum, quoad minimas sui particulas, textura vel conformatione, quæ, prout diverso modo nunc in hanc, nunc in aliam corporis partem agit, & certum motum inducit, vel mediatè vel immediatè, tàm varias qualitates sensiles, seu in organa sensus agendi facultates, habere dicitur.

§. CLXXXV. *Constant* autem *sensuum organa variis & distinctis partibus*, ita tamen subordinatis, ut una sit *primaria*, & cujus per objectum externum motione fit sensatio externa, seu certa in parte passio, & hæc semper nervus esse solet, cujus filamenta nunc in membranam fortiter tensam expansa, v. g. in auditu & visu; nunc in capitula papillaria sunt conglobata, v. g. in gustu & tactu, reliquis partibus saltem certum usum, eumque varium, habentibus.

§. CLXXXVI. Quinariô numerô omnes sensus externi rectè dicuntur comprehendi, quos inter eminet *visus*, cujus *objectum* externum est *lux*, primariò

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0030-8 DFG

mariò ☉is & ignis, & inde diffusum in orbe *lumen*, quod est materia quædam subtilissima, nil aliud nempe, nisi ignis quidam maximè rarefactus. *Lumen* tale vel immediatè in recta linea, vel mediatè, mediante nempe, in corporis opaci superficie, reflexione certa transit per *tunicam* oculi *corneam* & *humorem crystallinum*, donec impingat in tunicam *retinam*, seu *expansionem filamentorum nervi optici*, & exinde undique spiritu animali perfusam, ubi hæc quasi percussa similiter movens spiritus præsentes, talem facit motionem & impressionem, quæ ad cerebrum usque continuata, eo modo, ut §. 181. & 182. explicatum, à nobis dicitur *visio*.

§. CLXXXVII. Est sc. *oculus* reverà *camera obscura* opticorum, in qua humor crystallinus est vitrum lenticulare, in quo utplurimum fieri solet decussatio radiorum luminosorum, donec impingant in tunicam retinam, ceu primarium *visus organon*, ubi objectum externum exactissimè, inverso licèt situ, repræsentatur, ut ita reverà per duplicem conum, unum rectum ab objecto ad punctum intersectionis in crystallino, & alterum inversum ab hoc puncto usque ad tunicam retinam omnis fiat *visio*.

§. CLXXXIIX. Et prout hi intersectionis anguli sunt vel majores vel minores, etiam res visa major vel minor in tunica retina depingitur, & consequenter ita judicatur.

§. CLXXXIX. Quod si radii isti luminosi sub sua in orbem diffusione impingant in corpora opaca, resiliunt propter denegatum transitum plus minus exactè ad eos angulos, ad quos inciderant, ita ut incidentiæ & reflexionis anguli perpetuò sint æquales: id quod in speculis est manifestissimum.

§. CXC. Corpus opacum, à quo reflectuntur radii, est vel politum, vel ex particularum in superficie inæquali situ asperum. Illud radios, eodem ferè modo atque incidunt, ad visum reflectit, unde tale corpus, quasi secundariò luminosum splendere dicitur: hoc verò radios intra istas inæqualitatis superficiei diversos porulos, & varias eminentias & cavitates plus minus, partim abscondit, & ita cum umbris miscet, partim verò certâ ratione, plus minus tamen, à primitiva figura mutatos ad oculum reflectit, unde taliter modificatum lumen *color* dicitur.

§. CXCI. Nempe eorum *superficiales* particulæ minutæ, ceu copiosa polita specula, lumen incidens maximam partem reflectunt, & ita splendentibus proximæ sunt, *albedinem* repræsentant; quorum verò particularum textura copiosis porulis & meatibus est interstincta, ut in his lumen maximam partem abscondatur, & quasi umbris tenebricosis obfuscetur, *nigredinem* exhibet.

§. CXCII. Visum excipit *Auditus*. Hujus *objectum movens* externum nil aliud est, quàm *æther* seu *aër subtilissimus* diversimodè, impetuosè tamen & violenter nonnihil vel percussione vel flatu commotus, qui undique undulatorio motu in orbem diffusus per anfractus auris externæ ad aurem internam, & in specie ad nervum auditorium seu acusticum in cochleæ extremitate in membranam expansum impingit, eamque quasi percutit, unde motus ibidem percussioni analogus, & ad cerebrum continuatus, à nobis *sonus*, ejusdem verò dijudicatio seu perceptio *Auditus* dicitur.

§. CXCIII. Motiones ejusmodi aëreæ ad aurim continuatæ, prout sibi invicem certâ, secundùm arithmeticæ leges, positione in majori vel minori gradu, & intensione aut remissione, respondent, gratum vel ingratum seu harmonicum vel non harmonicum efficiunt sonum; & prout istis motionibus respondentes in cerebro spirituum animalium se habent motus, in impetu majori vel minori, ordine vel confusione, &c. varii effectus Musicæ in nobis consurgunt.

§. CXCIV. Motus talis aëris, prout vel vehementior vel debilior, fortiorem vel debiliorem seu remissiorem nobis repræsentat sonum; prout fortior & celerior, acutiorem; prout remissior & tardior, graviorem: sicut impingens aër in corpus densum, repercutitur diversimodè ad angulos incidentiæ æquales, indeque repetitum sonum seu *Eccho* constituit, quod in cavitate instrumentorum Musicorum *resonantia* dici solet.

§. CXCV. Ad hujusmodi aëris motiones flatu factas, tanquam per instrumentum pnevmaticum, pertinet motus ejus in animalibus per tracheam seu asperam arteriam factus, *Vox* dictus; quæ vox simplici per laryngem, imprimis epiglottidis adjumento, elisione *Vocales*: per linguam verò, dentes & labia, certa modificatione *Consonantes* efficit, quæ literæ in hominibus pro impositionis & conformationis ratione mille modis combinatæ, & certâ arte articulatæ, *sermones* constituunt: unde ex sola motus organorum sermonis observatione, surdus & mutus ab ortu per oculos seu visum exactè quasi audiens, & ita perfectè loquens, reddi potest.

§. CXCVI. Mulieres habent vocem acutam, cùm aspera earum arteria sit minor: contrà, qui habent eam majorem, illi habent sonum gravem, uti hoc observamus in ursis, quibus aspera arteria adeò est ampla, ut integra complicata manus eidem intrudi queat.

§. CXCVII. Post Auditum tertio loco est *tactus*, ubique ferè in corpore reperibilis, ubicunque nempe filamenta reperiuntur nervea, quæ ab externis objectis mille modis horum approximatione afficiuntur, & imprimis variè moveri possunt. Filamenta talia, uti in contexenda cutanea massâ locum primarium obtinent, ita ubique hinc inde in *capitula papillaria conglobata* ex cute nonnihil prominent, & sub cuticula genuinum & naturale *organum tactus* externum constituunt.

§. CXCIIX. Corpora externa, quæ sui approximatione dicta filamenta, & eorum extremitates papillares, afficiunt, hoc faciunt solâ particularum minutarum in superficie, textura, earumque certa vel motione vel quiete; exinde enim fiunt *qualitates istæ*, quæ à nobis dicuntur *tactiles*. Si enim quoddam corpus, cui v. g. manus admovetur, cedat defectu firmæ minimorum unionis, dicitur exinde *molle*; si verò non cedat, sed resistat ex forti earum combinatione, dicitur *durum*. Si quædam particulæ mobiles invicem cohæreant, simulque organo adhæreant, dicitur *viscidum*, si aliquæ particulæ à toto separatæ mobiles organo tactus adhæreant, dicitur *humidum*; si non, vocatur *siccum* seu *aridum*. Si fiat celerrimus & repetitus in organo ab objecti externi minimis motis motus, dicitur *calor*; si nullus, dicitur *frigus*: & sic de reliquis in infinitum.

§. CXCIX. *Gustus* nil aliud est, quàm tactus linguæ specialis & singularis, dum itidem, fit per nervos, in delicata filamenta divisos, quæ ad superficiem linguæ, sub membranam ejus delatæ; conglobantur in similes papillas nerveas, tanquam in capitula fungorum seu cornua extrema limacum. Hæ ergò ratione

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0031-4 DFG

tione suæ peculiaris texturæ ita sunt constitutæ, ut præter communia tactus objecta, ut durum, molle, asperum, &c. specialem à particulis salinis similibusvè ciborum recipiant impressionem.

§. *CC.* Sunt nempe *salinæ particulæ* minutissimæ genuinum *Gustus objectum*, quæ ratione texturæ rigidæ acuminatæ, hispidæ, & diversimodè figuratæ, vehiculo aqueo imprimis dilutæ, se insinuant in linguam, ejusque modò dicta filamenta, & speciatim eorum papillas variè movendo, pungendo, lancinando, &c. talem in iis motum efficiunt, qui à nobis *Gustus* dicitur.

§. *CCI.* Hinc prout dictæ particulæ plus minus mutantur, & alterantur vel obruuntur, variant sapore: hinc enim acida & urinosa mutuâ unione mutando texturam fiunt salsa; acidæ aceti particulæ, cum minio seu saturno calcinato junctæ, mutatâ texturâ dulcem saporem repræsentant.

§. *CCII.* Gustui proximus est *odoratus*, cùm utplurimum maximum inter se consensum habeant; ita quidem, ut intense sapida simul odoratum fortiter afficiant, & contrà, ut in oleis destillatis & salibus volatilibus apparet, adeò ut tactus, gustus & odoratus non nisi purâ graduatione majoris vel minoris materiæ immersionis distinguantur, & saltem tactus diversimodè modificatus sint.

§. *CCIII.* *Organon* hujus *odoratus minus* probabile statuuntur *processus mammillares*, sed potius hoc esse videtur *membrana ista tenera summitati narium*, juxta confinia *ossis cribriformis intus obtensa*, uti eleganter hoc demonstrat *Schneid. Tr. de osse Cribriformi*: quin & ex analogia cum tactus & gustus organo de præsentia certarum papillarum, ex filamentis nerveis contextarum, vix dubitandum videtur. Quibus narium hæc membrana sensilior est, facilè sternutant, & ii, quibus insensibilior, difficiliùs.

§. *CCIV.* Dum ergò cum aëre per inspirationem attracto varia simul & innumerabilia subintrent nares effluvia & miasmata, ex omnibus quibuscunque corporibus, insensibiliter licet emanantia, (adeò ut omnia corpora certam quasi suam & determinatam atmosphæram circa se habere videantur;) quædam eorum ratione suæ determinatæ texturæ & conformationis insinuant se dictæ narium membranæ, eamque vellicando, pungendo, titillando, &c. talem in filamentis ejus motionem efficiunt, quæ *odor* à nobis dicitur.

§. *CCV.* *Particulæ* talem quæ habent texturam & conformationem mechanicam, ut speciatim hanc membranam ejusque filamenta nervea movere possint, *sunt eæ, quæ communi nomine sulphureæ dicuntur, & sulphureæ seu pinguis esse naturæ*: nam vix odorem habemus, qui non ex sulphureo tali oriatur principio. Unde & prout particulæ tales pingues seu sulphureæ ex coalitu cum aliis, speciatim salinis particulis, mutant texturam, & vel volatilisantur vel figuntur, aut aliâ ratione immutantur, *odorum est varietas.* Hinc v. g. moschus, odoris expers, si in latrinam suspenditur, sulphureæ particulæ se iterum insinuant in moschum. Odor olei terebinthinæ suaveolentis longè diversus est, ab odore balsami sulphuris, cum hoc ipso licet oleo parati.

§. *CCVI.* Ita quidem se habent sensus externi: sed *internos* quod attinet, illi rectè dicuntur triplices: *sensus communis, phantasia & memoria.* Negotium est obscurius, propter insignem, quæ hîc observatur, confusionem operationum animalium & rationalium.

§. *CCVII.* Cùm enim nostra *cognitio intellectualis, & omnis ratiocinatio; præsupponat spirituum animalium exercitium, occasione quorum diversimodè motorum animæ rationalis spiritualis diversos sibi formet conceptus seu phantasmata (cùm nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu:)* adeoque sensus animales interni, & intellectio, in nobis semper sint conjuncti, evenit inde, ut nesciamus, quomodo sensus interni, separatim considerati, se habeant.

§. *CCIIX.* Unde factum, ut similitudo, quoad actiones externas, intercedat non levis inter homines & quasdam bestias, quibus cognitio sensualis quidem competit, non verò intellectualis; quorsum & *brutorum docilitas* pertinet, ut etiam brutis cognitio propriè sic dicta tributa fuerit, & consequenter ad minimum semirationalia reddita fuerint, h. e. nobis propria, ipsis similiter tributa seu adjudicata sint.

§. *CCIX.* Exactius si volumus scrutari negotium, necesse est, ut exactè abstrahamus & separemus res animæ rationali proprias, h. e. quas cognitione reflexâ in nobis ipsis percipimus, ab iis, quæ spiritibus & cerebro sunt propriæ, & consideremus, qua ratione hæ posteriores fiant, cùm in his sensuum internorum ratio consistat.

§. *CCX.* Quo facto manifestum evadet, *sensus internos in sola spirituum animalium varia & multiplici in cerebro & cerebello motione & agitatione consistere*: unde & brutis omnis perfecta & propriè sic dicta deneganda est cognitio; & non alio modo se habebunt bruta, quàm teneri infantes, utpote inter quos & bruta nulla est, quoad quascunque actiones, differentia, dum rationalis anima nondum actu secundo operatur, unde & conformatio cerebri organica læsa impediendo spirituum motum, sensus internos lædit.

§. *CCXI.* Adeò ut *sensus interni* in genere considerati ita se habeant, quod nempe nervorum filamenta, in organis sensuum externorum commota, suum motum continuent in cerebrum usque ad radices dictorum nervorum, unde motus similes in corporibus striatis, & consequenter in spiritibus animalibus excitati, sint id, quod *sensus communis* dicitur; quæ motiones impressæ exinde repercutiuntur in corpus callosum usque, ubi spiritus animales ubertim scaturientes occasione fibrarum motarum agitantur, in quo consistit id, quod *vocatur Phantasia*, & inde reflectuntur suo motu ad spinalem medullam usque, *ibique impetu facto vario, nunc in cerebelli, nunc cerebri nervos motorios derivantur: Illic in cerebello pro motu partium internarum, nempe diaphragmatis, &c. & excitatione affectuum; hic pro motu membrorum externorum*, ita ut varii hi motus nunc *sensus communis*, nunc *phantasiæ* nomine veniant: sicut iidem sæpiùs eodem modo evenientes, & in membris externis similes actiones exercentes, *Memoria appellari solet.*

§. *CCXII.* Motum quod attinet partium animalem, nempe quarumcunque, sive internarum sive externarum, ejus organon proximum sunt fibræ nerveæ; quæ nunc arctiùs sunt conjunctæ in unum systema, quod vocatur *musculus*, nunc à se invicem sunt separatæ, & circulari utplurimum ductu partem ambiunt, quæ v. g. in stomacho, intestinis, &c. propriâ appellatione carent.

§. *CCXIII.* Fibræ hæ in motu dependent à spiritibus animalibus, per nervos in partes distributis, hinc denegato eorum influxu pars & sensu & motu privatur. *Fibræ* quidem *partium circulares*, non musculosæ, quæ motum partium internarum peristalticum seu compressivum perficiunt, *obtinent nervos ex cerebello* distributos, & sine ulla prægressa cognitione sensuali motum cient, adeoque nec talis motus prohiberi nec cohiberi potest, unde vulgò *motus naturalis* simpliciter dicitur,

§. *CCXIV.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0032-0 DFG

§. CCXIV. Musculosum verò fibrarum systema nervos ex cerebro distributos obtinet, & eos gubernat motus, qui prægressam cognitionem sensualem vel intellectualem sequuntur, adeoque à nobis prolubitu vel impediri vel promoveri possunt: & hic motus per musculos *in genere motus animalis*, in specie verò in hominibus *voluntarius*, in brutis *spontaneus*, appellatur.

§. CCXV. *Musculi structura* ex copiosis constat fibris, in medio sui coagulo sanguineo seu carneo vestitis, quarum plures sibi invicem inæqualiter quidem, æquali tamen ordine, superimpositæ ita situantur, ut utrinque, tàm in principio, quàm fine, fibræ circa intermediæ carnis substantiam incurvatæ, figuram & corpus rhomboideum eleganter constituant super angulos obtusos, donec in rectos mutentur, mobile.

§. CCXVI. Movetur musculus & omnis fibra motrix, quando eadem abbreviatur, & quasi in se contrahitur, ita ut *musculi unica* sit *actio* seu *contractio*, quam sequitur partis annexæ motus, ejusque mutata figura & situatio: quod si ita contractus persistat musculus, dicitur *motus tonicus* seu *tensivus*; si relaxatur denuò, ita ut nullo musculorum agente membrum sit in figura & situ naturalibus, in *figura media* positum esse dicitur.

§. CCXVII. Motus hic fibrarum seu *contractio* à tribus dependet causis. *Prima est ipsa fibrarum* extensarum & partibus annexarum *spontanea ad sui contractionem inclinatio*, instar chordarum extensarum spontè se contrahentium.

§. CCXIIX. *Secundò* accedit *impetus radiosus spirituum animalium per nervos diffusus*, qui in fibræ substantiam distributus, eam *replet*, *& quasi inflat*, & ita breviorem reddit, quod imprimis in musculorum ventre observabile est.

§. CCXIX. In quibus *tertiò copiosior sanguinis arteriosi* in musculum *influxus* supervenit, qui in ventre ejus dilatato, minorem inveniendo resistentiam, uberiùs infunditur, unde & turgescentia musculi & contractionis vigor maximè resultat.

§. CCXX. Ita quidem se habet corpus humanum in individuo consideratum: ut verò conservetur in specie, ordinatum est à summo rerum seu naturæ Autore generationis negotium, in quo mas & fœmina, ceu causæ sociæ, conferendo mutuò sua symbola, se in specie multiplicant, & novum individuum vitale producunt, quod *Generari* dicitur.

§. CCXXI. Mas quod confert, est ejus *genitura*, vulgò, sed malè, *semen* appellata, quæ in testium glandulosa substantia ex copiosissimis minutis ductibus & vasculis constructa, elaboratur ex chylo puriore, unà cum sanguine arteriosо per arterias spermaticas seu præparantes ad testes allato, transcolato, & vi specifici fermenti testium elaboratur.

§. CCXXII. Genitura hæc chylosa seu lactea, nonnihil mucilaginosa, sub coitus ardore spiritibus, in specie animalibus, largiter imprægnatur, unde turgescens & vesiculas seminales distendens, harum & partium vicinarum musculosarum contractione, accedente proprio spumoso impetu, validè è membro virili ejaculatur & evibratur.

§. CCXXIII. Conjungitur pro facilitando motu, instar vehiculi, lympha glandularum prostatarum, ad collum vesicæ sitarum, quæ unà effusa, facilitat ejectionem genituræ insigniter. Talis lympha etiam adhuc in eunuchis gignitur, & ab ipsis voluptuosè, licet infructuosè, coeundo effunditur.

§. CCXXIV. Fæminas quod attinet, omnium etiam animalium, pro generationis negotio conferunt *ova*, ita ut omnes etiam *mulieres* sint *ovipara*; hâc tamen differentia, quod quædam ova à spiritu genitali marium, cum genitura excreto, fœcundata in utero tamdiu foveantur, donec vitalis & perfectus exinde fœtus formatus sit, eumque demum excludant *Vivipara* dictæ; quædam verò ova fœcundata, sed rudiora, & nondum in fœtum perfectè formata, præmaturè excludunt, & postmodum corporis incubatu, mediante blando calore fovendo, ad perfectionem omnimodam perducant, *Ovipara* dictæ: vid. præter *Graeff Horn. in Prodr. de Gener. Mulier.*

§. *CCXXV.* Valet hoc ipsum etiam in mulieribus, quarum *testes sunt ovaria*, in quibus ovula ad summum pisorum magnitudine producuntur, quæ per tubam uterinam (cornubus uteri in brutis analogam) sub coitus ardore ad testem contortam, expanso ejus orificio excepta, deferuntur ad uterum, ut ibidem à genitura maris fœcundata, in fœtum vivum successivè formentur. Quod si verò in tuba uterina fœcundatum tale ovulum persistat *Conceptio* fit *tubaria praeternaturalis*, matrique lethalis:

§. *CCXXVI.* Consistit sc. conceptus mulierum in tali ovulo, à spiritu genitali maris fœcundato, ita ut spiritus genitales utriusque parentis in dicto ovulo, ceu in receptaculo appropriato, sociati, & tanquam debito fomite mutuò incensi, ceu principia activa, agitationem & motionem determinatam in subjecta materia inchoent, eamque in fœtus successivam formationem terminent.

§. *CCXXVII.* In ovulo itaque fœcundato mox inchoatur *fœtus formatio*, primitus in saliente punctulo se movente & magis subsiliente, cum filamentis circumcirca rubicundis; ita ut *cordis palpitantis* rudimentum inter partes solidas, & sanguinis *vitalis liquor* inter partes liquidas, partes primogeneæ videantur.

§ *CCXXIIX.* Emergunt brevi post *bullulæ quatuor*, *cerebri*, *cerebelli*, *& binorum oculorum*, manifesta primordia, cum substantia simili instar carinæ, circa punctum saliens reflexa, primum medullæ spinalis inchoamentum; unde consequenter reliquæ partes nerveæ ex fibris diversimodè coagmentatis contexuntur, ac nascentibus ipsis successivè ex sanguinis coagulo partibus cœteris sanguineis.

§. *CCXXIX.* Ita ut adhuc verissima sit *distinctio* partium in *spermaticas* seu *nerveas*, & *sanguineas* seu *carneas*: Illis ex materia chylosa seu lactea ovi uterini pronatis; his ex sanguine circum istas concreto pedetentim exstructis.

§. *CCXXX.* Ut verò in viviparis sub formatione nutriatur & augmentetur simul embryo, *nutrimento* opus, quod per uteri substantiam ad eum derivatur. Adhæret ob id utero fœtus membranis suis, eum ambientibus, nunc immediatè, nunc mediatè, intercedente certa substantia; unde animalia vivipara sunt vel *placentifera*, vel *glandifera*, vel *cotyledonifera*.

§. CCXXXI. Mulier etiam est inter placentiferas, seu fœtus humani membranis extrinsecus adnascitur moles carnea, hepatis æmula, in recessu glandulosa, quæ utero connectitur, & in quam fœtus vasa umbilicalia divaricantur. Per hanc nutrimentum chylosum ex matre allatum transcolatur in venam umbilicalem unde ad venam cavam fœtus derivatur, tandemque perfectum in sanguinem mutatur.

§. CCXXXII. Quicquid nutrimenti non transit hanc placentam, transudat, tanquam per filtra, in cavitatem chorii & amnii, ut in eodem revera *natet embryo*, qui etiam paulò grandior factus, reverà *sugendo per os* istud attrahit, & ita in sto-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0033-5 DFG

in stomacho conveniente chylificatione sibi appropriat; ita ut partim per os, partim per umbilicum, nutriatur.

§. CCXXXIII. Membranæ tales, quæ fœtum cingunt, & quarum circumferentiæ adnascitur *placenta*, in homine sunt tres: *Chorion, Amnion, & Allantoides*; quarum *illæ* nutrimenti chylosi seu lactei fœtus sunt & colatoria & receptacula; *hæc verò* urinam per urachum, ex vesica fœtus cum umbilicalibus vasis ad eam protensum, excretam recipit, & ad tempus partus usque conservat.

§. CCXXXIV. *Partus nil aliud est, quàm fœtus maturi & perfectè formati debito tempore legitima facta exclusio.* Contingit hæc conatu simultaneo fœtus & matris; hujus quidem uteri & partium vicinarum membranosarum motibus convulsivis & contracturis spasmodicis sumè dolorosis vexatæ, per halitus seu aëris retentionem, & diaphragmatis deorsum versus detrusionem, & adeò abdominis totius, accedentib⁹ musculis ambientibus validè contractis, compressionem, & inferiora versus protrusionem.

§. CCXXXV. Illius verò anxietate præcordiorum, ex respirationis jam magis necessariæ defectu, stimulati, valida motione, calcitratione, & hinc inde agitatione, adeoque totius corporis inferiora versus depressione; unde, ruptis tali modo membranis, liquores contenti effluunt, partes, per quas transeunt, membranaceas laxant, ut patulo fœtui egressuro pateat via.

§. CCXXXVI. Fit hoc ordinariò circa mensis gestationis *noni finem, aut decimi principium.* Patitur tamen hic terminus insignem latitudinem, cùm & *septimestres & octimestres, undecimestres & duodecimestres* observati sint vitales, modò rectum gravidæ duxerint calculum. *Octimestres* quidem habentur communiter pro non-vitalibus, cùm sint reverà abortus fœtuum nono mense nascendorum; unde minus maturi, minusque vitales, existunt: cùm tamen & septimestres vitales observati fuerint, nullum dubium est, interdum & octimestres reverà vitales esse.

PATHOLOGIA.

§. I.

MAchina nostra corporea pro ratione partium, ad structuram ejus requisitarum, si omnes debitas operationes exercere valet integras, dicitur *sana*; sin verò vitio partium defectuosa sit plus minus quædam operatio, dicitur tunc *morbosa.*

§. II. Partes machinæ sunt vel *activæ moventes, contentæ, & impetum facientes*; seu *humores & spiritus influi*: vel sunt *instrumentariæ*, *motæ, partes* nempe *solidæ* seu *continentes.*

§. III. Omnes istæ cùm defectus suos patiantur morbosos, ob id *tres essentiales* erunt *morborum differentiæ*: (1) *sanguinis & cæterorum humorum* (2) ex his natorum *spirituum*, ac (3) per *has actuatarum partium solidarum.*

§. IV. Cum namque *sanguis & spiritus primum* sint *vivens* in puncto saliente, & *ultimum moriens*, quin & his affectis reliquæ omnes partes, licèt sint salvæ, tota machina corporea morbosa jaceat, ac alterationes insigniores, quas sub annorum serie, ætatumque discrimine, patitur homo ab his variè alteratis oriantur, insignesque mutationes totius sub pubertatis annis, mediantibus istis à fermento testium inspirato immutatis, contingant, sanè erunt primarium, quamvis partes solidæ secundarium saltem, morborum *subjectum.*

§. V. Sanguis per vasa continuò circulatus omnes partes cæteras nutrit & alit, calore vitali fovet, & spiritu vitali salino balsamico à corruptione tuetur.

§. VI. Vim hanc obtinet sanguis à sua determinata crasi seminali, seu particularum materialium, ejus liquorem componentium, textura & unione, in semine primitus inchoata, & per particulas salinas acidas & alcalinas volatiles fermentativo motu cum aliis totam massam agitantes, continuata.

§. VII. Depravatâ ergò & corruptâ sanguinis crasi, ex alteratis primariò salibus morbi *sanguinis* oriuntur *fermentativi, sive sanguis* in acutam effervescentiam ex dictorum salium acriorum concursu *turgescat* sub febribus, v.g. acutis; *sive deficiat* nonnihil à vitali ista fermentatione ob dictorum principiorum inertiam, dum cruditatibus recrementosis obruta minus in se agere possunt, ut v.g. in *cachexiis, &c.*; *sive fermentatio* hæc variis modis *alteretur* ac *depravetur*, ac insignes anomalias, & varias sub isto motu intestino inæqualitates, patiatur ex vitiata proportione dictorum salium ad se invicem, in specie ex *depravatione acidi* instar prothei variformis inquinantis sanguinem, ut in *scorbuticis* confirmatis ac *hypochondriacis* est obvium.

§. IIX. *Impetum facientium spirituum influorum* morbos quod attinet, peccabunt hi vel (1) *in substantia, dum aut vitiose* ex M. S. corrupta & alterata *generantur*, aut ab heterogeneis admistis, in specie causis malignis, inficiantur; vel (2) *in quantitate deficiente*; vel (3) *in motu*, quatenus cientur in motum, vel nimis rapidum aut inordinatum, sub convulsionibus v.g. aut phrenitide, vel quatenus deficiunt à debitis expansionibus, ut in affectibus soporosis contingit.

§. IX. Quod si HELMONTII terere velimus vestigia, in *spiritu partium insito seu archæo, archæales* considerandi essent *morbi*, ab ideis peregrinis, Archæum ad p.n. actionum exorbitationes determinantibus, oriundi: adeò ut sicut à seminalibus in machinæ corporeæ structura & gubernatione dirigatur naturaliter, ita ab morbosis ad p.n. actionum læsiones disponatur.

§. X. Sive ab *extra* harum idearum fiat impressio, v.g. ab assumptis vel admotis, ut in morsu viperæ, canis rabidi, punctura tarantulæ, in esu cicutæ vel esu carnis felis rabidæ; sive *ab intra* occasionali quacunque causa materiali excitatus Archæus diversas passionum exorbitationes, *indignationis, furoris, terroris, pavoris, &c.* concipiat, quarum passionum ideæ morbosæ, pari ratione postmodum & vitiose, actiones ejus dirigant: vid. *KIRCHER. de Peste* & *HELMONT.*

§. XI. Nam contumacissimorum *morborum, v.g. podagræ, paralyseos, quartanarum diuturnarum*, & similium affectuum, omnem consuetæ medicinæ eludentes opem, citra materiæ peccantis suppositæ excretionem quamcunque, aut per quendam animi affectum, ut podagræ per inopinatam aut violentam apprehensionem pedis dolorifici, aut rei intensiùs appetitæ assumptionem, subitò evanescentium subsequens curatio hanc ejus hypothesin illustrat: ut taceam

ceam imaginationis effectus, cujus ope ubertim *corpus purgabatur in hera, cujus ancilla ipsi præscriptas devorabat pilulas*: vid. *SALMVTH Obs.* 8. & 14. C. 3.

§. XII. In partibus solidis observanda est *materia*, ex qua earum corpus coaluerit, & *forma superinducta organica*, materiam ad certum opus perficiendum determinans: Istius læsionis morbi *intemperiei*; hujus morbi *conformationis* dicuntur.

§. XIII. *Tota* autem *morborum intemperiei series* partim ruinoso quatuor elementorum, horum qualitatum, & inde natorum temperamentorum, nititur fundamento, partim super hypothesin dubiam & obscurissimam, de calido nativo & humido primogenio fundatam.

§. XIV. *Intemperiei* enim dicti morbi sunt vel *ratione temperaturæ elementalis*, vel *ratione temperaturæ vitalis*. Ratione *prioris intemperiei* morbi sunt, quando materialis particularum minutissimarum, ex quibus coaluerunt, textura mutatur & plus minus alteratur, unde & novæ proprietates sensiles inde emergunt, v. g. mollities, durities, siccitas, humiditas, &c. *Origo* talis mutatæ texturæ est *vitiosa nutritio*, sive nutrimenti tam chylosi quàm sanguinei culpâ eveniat, sive ipsius partis nutriendæ peregrino fermento inquinatæ, aut quacunque causa subinde externa læsæ, vitio contingat.

§. XV. Ratione verò *posterioris, intemperiei nempe vitalis* morbi dependent *à sanguine*, cujus prout erit materialis textura, motusvè fermentativus, & inde resultantes proprietates variæ, imprimis quoad caliditatem & frigiditatem, etiam erit temperatura totius corporis vitalis, & prout mutatur sanguis naturaliter sub ætatum vicissitudine, etiam mutatur temperamentum totius corporis, & prout mutatur idem p. n. in morbis, etiam temperies totius variant: eodem fervescente in causo, corpus intensiùs calet, eodem tepescente sub cachexiis, corpus frigidum apparet, &c.

§. XVI. Cadit ergò omnis *inæqualis* viscerum *intemperies*, seu *contrarietas*, seu *antipraxia* eorundem, inspecie *stomachi frigida & hepatis calida*: nam sanguis debito circulo distributus proportionaliter calefaciet & stomachum & epar, adeoque debitam obtinebunt temperaturam.

§. XVII. Ut taceam ipsum *calorem non esse principium* primarium effectivum actionum, sed tantùm dispositivè concurrere, *cùm fermenta digestionum sint Autores*: unde in ista *inæquali intemperie vitium erit omne ex cruditate stomachi acida*.

§. XIIX. In *conformationis morbis* attendendum (1) ad organorum partem seu substantiam fundamentalem, uti sunt fibræ; (2) ad ipsas conformationes mechanicas ipsis superinductas. *Fibrarum legitima tensio, tonum partium constituens*, si lædatur, robur partis læditur sive perit, & oritur exinde *atonia*, frequens satis vitium; sive nimia fibrarum *extensio*, sive nimia per lymphæ serique humectationem *relaxatio*, sive denique *spirituum animalium deficiens influxus* & expansio malum inferant.

§. XIX. *Conformationem mechanicam* ipsam quod attinet, optimè secundùm tres dimensiones qualitatis dividuntur secundùm *longitudinem, latitudinem & profunditatem*, & hanc vel solidam vel porosam: quibus omnibus communis est legitima partium unio in connexione & situ.

§. XX. *Obstructiones morbosæ* vulgò incusantur ceu fundamentum tantùm non omnium morborum chronicorum, v. g. obstructiones mesenterii, hepatis, lienis, pancreatis, &c. ceu Autores scorbuti, mali hypochondriaci, cachexiæ, febrium, &c.: *sed reverà subinde ignorantiæ sunt asyla; cùm reverà vitio digestionis primæ omnes oriantur.*

§. XXI. Non possunt sanè obstructiones esse in vasis vel *sanguifluis* vel *lymphaticis*, vel *visceribus*, per quæ continuus humorum est trajectus citra *stagnationem sequentemque tumorem* partium infallibilem, aut humoris impediti in motu naturali per *aliena loca extravasationem & excretionem.*

§. XXII. Aut necesse erit, ut integer quidam ramus ex materia, in & circa eum in scirrhosam duritiem sensim coagulata, totali transmissioni humoris fiat ineptus, ita ut per vicinos ejus defectus tandem compleatur.

§. XXIII. *Non universaliter* equidem *neganda* sunt *obstructiones*, idque imprimis in meatibus quibusdam particularibus; v. g. in cœliaca passione nunc ductus pancreaticus & choledochus, nunc orificia vasorum lacteorum, sunt obstructa; nunc quandoque ureteres à calculis obsidentur, &c. Sed istæ obstructiones, quas in abdomine morborum chronicorum fingunt Autores, sunt aut nugæ, aut si reperiuntur interim, v. g. in quartana diuturna, scirrhus & obstructio lienis, erunt *productum morbosum.*

§. XXIV. Acidum est, idque vitioso sapore varium admodum, quod in talibus affectibus peccat, ac in materia viscida radicatum, quod errore digestionis in stomacho depravatæ oritur.

§. XXV. Unde & martialibus, per se semper & solùm adstringentibus, sed optimè acida absorbentibus, & salinis volatilibus aut fixis, nunc acrioribus, ut antiscorbuticis, nunc temperatioribus, ut aromaticis & stomachicis remediis, viscida incidentibus & bilem acuentibus, curantur.

§. XXVI. Ad *fermentativos* morbos *contagiosi* quoque & *epidemici* pertinent, cùm seminium morbosum ex ægro exhalans, vel miasma in aëre volitans, vi fermentativâ patiens corpus immutet; adeoque ut miasmata hæc non incommodè ex salina natura deriventur; sive *volatilius & acrius* sit dictum *fermentum*, ut in febribus malignis acutioribus & pestilentialibus, sive *salso-acidum sit*, ut in lue Venerea, scabie, &c.

§. XXVII. Per consensum *pars affecta* dicitur, dum unâ p. n. affectâ, & peregrini quid sentiente, in alia, ipsi quacunque ratione connexâ, simile quid patitur & sentit. Est igitur *consensus* propriè dictus saltem inter partes nerveas, quas inter, ut consentire queant, certa connexio requiritur; *sive connectantur ita, ut sint omninò continuæ, sive ut sint contiguæ, sive ut tandem mediantibus funiculis nerveis certâ ratione junctæ sint.*

§. XXIIX. *Tempora*, aut rectiùs *morborum gradus*, prout iidem exasperantur sensim, sensimque remittunt (in acutis imprimis observandi morbis:) *dependent à gradibus fermentationis in sanguine*: nam & hanc sequuntur symptomata, vel mediatè, vel immediatè, & imprimis *omnis coctionis ratio* pro legitimo remediorum usu specialiùs observanda, huic ipsi fundamento innititur.

§. XXIX. *Causarum* jam attingendum est *scrutinium*, quæ vel *externæ* sunt vel *internæ*; & illæ nunc *fortuitæ*, nunc *necessariæ*. Inter causas *externas fortuitas* & non necessarias sunt imprimis eæ, quæ *unitatem partium mutuamque cohæsionem tollunt*, adeoque *vel contundunt, vel vulnerant, vel erodunt, vel adurunt, &c.*

§. XXX. Omnia hæc, etiam ipsa vulnera, spontaneo naturæ motu restituuntur, modò *impedimenta* removeantur, quæ *sunt alimenti partis roridi & sanguinis*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0035-7 DFG

guinis effusi ex spiritus vitalis dissipatione superinductæ in parte læsa *alterationes* & successivæ *corruptiones*, imprimis in vulneribus ab aëre ambiente obortæ, quas inseparabiliter comitatur *acor vitiosus*, ex ista putredine natus.

§. XXXI. Hic vitiosus acor, instar fermenti peregrini, partis affectæ alimentum proximum multivariè alterat, istudque in pus, saniem, & ichores transmutat; unde tandem vulnera & ulcera depascentia emergunt, fermento hoc acido in vulneris, vel inde nati ulceris, continuò ulteriùs se multiplicante & serpente.

§. XXXII. Modò igitur, vel præcaveatur vel jam inducta subitò corrigatur vitiosa ista aciditas, per media vel balsamica dicta seu vulneraria, alcali temperato & oleoso constantia, vel metallica, omne vitiosum acidum successivè delentia, quæcunque læsiones, quæcunque vulnera, &c. citra suppurationem omnem, inflammationem & tumorem, facilè coëunt, & vulnera omnia ac abscessus istis optimè mundificata, novâ carne facilè implentur.

§. XXXIII. Hinc enim succus nicotianæ aut plantaginis, vel terebinthina, vel balsamus Peruvianus, vel oleum momordicæ, vel, qui reliquis præfertur, balsamus de capaibe, vel opobalsamum, recentia vulnera omnia subitò ad consolidationem perducit. Hinc colcothar vitrioli absorbendo acidum omnem vulnerum & ulcerum corruptionem tollit; hinc plumbum ulcera, eorumque dolores ac inflammationes curat, acidum omne suo attactu dulcificans, & aluminosam adstrictionem inde acquirens: hinc ceparum succus, & cum eo dilutus sapo Venetus, aut cancrorum fluviatilium succus, item calx viva cum oleo lini subacta, ambustionibus resistunt virtute alcalinâ, acidi, colliquefacientis partes solidas & nutritium succum, destructivâ.

§. XXXIV. His succedunt *sex res n. n.* ita dictæ, ex eo, quod nec principia, nec causæ corporis nostri ejusque partium, constitutiva sint, sed neutro modo, legitimò usu, corpus sanum conservent, perverso verò abusu illud ægrum reddant; adeoque primariò quidem ad sanam, non ad longam, vitam faciunt, nedum ut eam cum Deodato ad 120. annos propagare valeant.

§. XXXV. *Aëris summa* sc. ad vitam *necessitas* pro volatilisatione ac resolutione sanguinis, tam ad continuandam spirituum productionem, quàm ad promovendam excrementorum insensilem evacuationem; idque beneficio sui salis volatilis quasi nitrosi, instar veri salis hermetici, omnia coagulata dissolventis, & omnia fixa volatilisantis, mediante inspiratione nobis communicatur.

§. XXXVI. Prout igitur sal hoc plus minus aërem impræguat, aut copiosiori effluviorum aqueorum miscela plus minus hebetatur, variat subindè *aëris efficacia*: quibus & multivaria effluvia fermentativa, ex omnibus corporibus continuò exspirantia, conjuncta, morborum epidemicorum & non-epidemicorum familiares Autores, vim aëris nostri corporis alterativam insigniter variant.

§. XXXVII. *Alimenta assumenda, ratione quantitatum & qualitatum*, solus præscribit *appetitus*, ita ut sanis sint omnia sana, modò sobriè & probè masticata assumantur; cùm ea, quæ dictante appetitu ingeruntur, fermentum digestivum promptè subigit & transmutet: nam ex re intensiùs appetita subinde corpori remedium paratur à stomacho, & quæ insolita & apparenter nociva ingerunt *picantes*, etiam venenosa, sunt innocua; sicut optima, si abhorreantur; quia tunc non ritè digeruntur, morborum suggerunt occasiones.

§. XXXIIX. Per fermentationem resolvuntur alimenta in chylum, quâ mediante gummosa & viscida, temperata tamen, vegetabilium nutrientium, in specie cerealium seminum fructuumque substantia, duo salia, acidum & alcali, in recessu habens, resolvitur in alimentitium succum, & disponitur ad promptiorem assimilationem.

§. XXXIX. Hæc ipsa ut promoveatur in stomacho fermentatio, antè priùs fermentantur in panificio, in cujus medio tamen cursu impediuntur per tostionem, unde non perfectè spiritus volatilis inflammabilis, sed tantùm spiritus intermedius in iis generatur.

§. XL. Ratione hujus spiritus acidi volatilis homogenei quodammodo ac amici fermento stomachali, nunquam panis, licèt continuò comesti, nos capit fastidium: quin potiùs odor ejus debiliores recreat, ac nauseam medicamentorum ingratorum cohibet; cùm & *liquescens panis in stomacho in cremorem cibos, quibuscum masticatus & assumptus est, simul faciliùs colliquescere cogit*, ut ita panis sit quasi adjunctum quoddam alimentis fermentum, quorum & Theriaca quibusdam audit.

§. XLI. Idem usu venit in *cerevisiarum coctura*, in quibus absolutâ fermentatione post cocturam liquor, spiritu perfectè inflammabili præditus, remanet, resolutâ nutritivâ seminum gummeâ substantiâ in liquorem, in quo, pro acidi exaltatione impedienda, aromatico lupuli condimento, sale volatili oleoso impræguato, præservatio instituitur.

§. XLII. Præmittitur his inchoata germinatio, ut ea resoluta & viscidæ substantiæ compedibus extricata salia post cocturam promptiùs fermentare queant: quia, citra hanc germinaturam, per cocturam pasta saltem tenax, facilè mucescens seu situm contrahens (h. e. in plantulas & flosculos progerminans) non verò liquor dulcis fermentescibilis, eliceretur.

§. XLIII. Ut verò potus ex cerealibus seminibus sunt *cerevisiæ*, ita ex succis fructuum, si parentur, dicuntur *vina*: quo etiam saccharum & mel pertinent, quæ fermentationis medio itidem vina suppeditant. His in potibus vinosis, per spirituum volatilium fermentationem producta aciditas, plus minus manifesta, imprimis attendenda est: nam & vina dulcia acido suo non sunt spoliata, utut propter copiosum sociatum alcali volatile oleosum aut pingue minus sensilis sit iste acor.

§. XLIV. Aciditas ista vinosa, nisi probè sub digestione correcta & alterata, aut à bilis volatili sale in duodeno in salsum volatile transmutata fuerit, id quod fit vitio nimis copiosæ & inordinatæ ingestionis, quod vinum subcrudum adhuc per intestina distribuitur, mille malis ex acore vitioso pronatis, v. g. torminibus, lithiasi, podagra, paresi, catarrhis, apoplexia, subinde etiam epilepsia, sui amatores mulctat.

§. XLV. Ut igitur alimenta massæ sanguineæ restaurationi & corporis nutritioni conducunt, ita & motus moderatus ejus assimilationi & purificationi; circulationem sc. ac vitalem ejusdem sanguinis fermentationem promovendo, inservit: hoc ipso etiam simul alimentorum assimilationem, per universum corpus distributionem, & heterogeneorum per fermentationem, præcipitationis modo, separationem adjuvat.

§. XLVI. Qualia heterogenea à latice aquoso sangui-

sanguinis absorpta nunc mediante urina, sub nubeculæ vel levis sedimenti forma, nunc per insensibilem transpirationem, foras eliminantur; adeò ut legitimum *sanitatis conservativum & morborum præservativum* sit *motus*, vicarius nempe omnis venæsectionis, purgationis; alteriusque similis sanguinis correctionis, quod mechanicorum & rusticorum turba palam testantur.

§. XLVII. *Quoad somnum*, quæritur, an meridianus salubris sit, nec ne? Resp. in assuetis, & iis, qui noctu parum dormiunt, senibus item & lucubrantibus studiosis concedendus est; si nempe fiat sedendo, non jacendo: non enim adeò conveniens sit digestio modò posteriori.

§. XLIIX. Hæ ipsæ *occasionales causæ*, & quasi *remotæ*, alterando & immutando sanguinem & chylum, & inde oriundos reliquos corporis machinam gubernantes succos, *proximas* inferunt, & ita res p. n. dictas producunt; dum chylus, & inde successivè genitus sanguis hinc mutatus, peccat nunc, idque ratiùs, in *quanto*, seu dum nimiâ copiâ abundant, unde *Plethora*; nunc, idque frequentiùs, in *quali*, dum deficiunt à debita seminali seu naturali crasi, unde *cacochymia*.

§. XLIX. *Plethora ad vires* est contradictoria & impossibilis; cùm ipse corporis vitalis vigor in sanguine & spiritibus fundatus sit: unde, nisi ipsas vires viribus vitalibus graviores esse, dicere velimus, etiam plethoram quoad vires asserere non poterimus.

§. L. *Athleticus veterum luctatorum* habitus evsarcus & musculosus, adeoque robore artuum insigni notabilis, ortum duxit ex uberiori spirituosi sanguinis copia in vasis, indeque ab uberiori sanguineo nutrimento; sicut obesorum superabundans pinguedo nutrimenti chylosi circa membranas uberiùs collecti, & blando acido coagulati, congestionem sequitur: nam *athletici* sanguine, *obesi* chylo butyroso, magis *abundant*: malè hinc homines crassiores pro plethoricis habentur; cùm reperiantur homines crassissimi, carnosi, exilia tamen sanguinis vasa habentes.

§. LI. Videretur equidem *plethora ad vasa* absurda, chyli distributi à copiosis alvi fæcibus separati, paucitatem, cum necessaria continuataque ubertima insensibili transpiratione, consideranti; qua sc. ex statica Sanctorii singulis diebus naturalibus, seu 24. horis tantum insensibiliter ferè difflamus, quantum 15. dierum cursu per alvum egerimus.

§. LII. Sed *intemperantia otiosa*, Medicorum nutrix, cum stomacho robusto ex alimentis copiosis & ἐυπέπτοις largiorem laudabilemque chylum, indeque oriundum sanguinem suppeditans, cum vita desidiosa minus insensibiliter difflante, necessariò sanguinis abundantiæ, vasis propriis circa ejus evacuationem vel stagnationem vix coërcibili, fomitem continuum subministrat.

§. LIII. Cui accedit non rara sanguinis *fermentativa* p. n. *turgescentia*, præter febrilem orgasmum, imprimis in fœminarum menstrua purgatione notabilis, qui sanguis apparenter abundans non nisi factâ vel artificiali per venæ sectionem, vel naturali per quæcunque vasa epigastrica, evacuatione depletus, debito circulo per corpus distribui nequit.

§. LIV. Qualis *plethora ad vires apparens* in iis, qui solenni vel venæsectioni, vel scarificationi, similivè sanguinis subtractioni, adsueti sunt, eo tempore, quo istæ solitæ depletiones aliàs institutæ fuêre, etiam se manifestare solet, ut citra sanitatis nocumentum easdem, nullâ licèt aliâ necessitate urgente, omittere nequeant.

§. LV. Distribuitur per universum microcosmum sanguis mediante *latice aquoso*, vehiculo nempe tàm nutrimenti sanguinei pariter ac chylosi, in vasis sanguiferis & lymphaticis, quàm vehiculo excrementi sub urinæ, sudotis, aliavè forma eliminandi: unde sive deficiat, sive nimis abundet, morbi oriuntur. Imprimis autem læditur *corpus acrimoniâ ejus* vitiosâ, tàm *salsâ*, quàm, quod pejus simulque frequentius est, *acida*; exinde enim quamplurimi affectus urinarii, & ex inquinata nimisque acida lympha quarumcunque glandularum, affectus catarrhales, febres lentæ, &c. originem ducunt: *nam omnes morbi, quos ex serosa colluvie oriri voluerunt* vel PISO vel SCHNEIDERUS, *optimè ex vitiata lympha lasisque glandulis deduci possunt.*

§. LVI. Cœterùm ex continuata secundùm res n. n. alteratione (1.) in massa sanguinea, hujus varia exsurgit indolis, ac insignis non raro depravatio, fomes ac mater futurorum morborum; simulque vitio vel (2.) interno digestionis primæ in stomacho, vel separationis fæcum ex chylo in intestinis mediante bile, vel assimilationis chyli cum sanguine, vel depurationis per renes ac poros corporum; vel vitio (3.) alieno, aut sub prima generationis origine, aut ex accessu fermenti cujusdam exotici & peregrini, sanguis à debita & naturali crasi sensim deficit, adeoque cacochymus evadit.

§. LVII. Crasis hæc cùm consistat in massæ sanguineæ textura materiali, dependente imprimis à particulis ejus salinis, ob id hujus texturæ, imprimis particularum salinarum, multiplex mutatio & alteratio, plus minus cacochymicum & qualitatibus vitiosum reddit sanguinem.

§. LIIX. Multiplicem hanc *cacochymiam* ejusque causas graphicè nobis delineat *Autor libri de prisca Medicina*, inter scripta Hippocratea, determinans eam per *acidum*, *amarum*, *dulce*, *salsum*, *insipidum* & 600. *vel infinita* alia, sub saporum notione repræsentata.

§. LIX. Quæ ipsa infinita, sub infinita speciali causarum morbosarum differentia, se unicuique offerunt, dum in singulo morbo ac singula morbi causa specialis peccat sapor, nonnisi per remedium, huic vitioso sapori in specie adversum, eumque corrigens, ob id *specificum* dictum, emendandum est.

§. LX. Hoc ipsum instanter urget HELMONTIUS, qui in simplicibus specificum saporem æstimandum suadet: sic enim saturnina in specie conveniunt ad delendum acidum vulnerum; myrrha ad affectus mensium ex acido ortos, & variolas; allium in calculo; cochlearia ad acidum scorbuticum.

§. LXI. Hæc ipsa autem *sexcenta* non ad definiendum saltem causarum morbosarum rationem, sed ad alimentorum pariter ac medicamentorum explicandas facultates applicat *dictus Autor*.

§. LXII. *Infinita* hæc cacochymiæ differentia ad tria capita generalia non incommodè reduci valet, ad *acidum*, *amarum*, *& dulce* seu *insipidum*: *habito respectu ad duo quasi catholica*, *instrumentalia tamen principia salina*, *acidum & urinosum*, eademque temperantem & diluentem in corpore *chylum* vel dulcem, vel quodammodo insipidum.

§. LXIII. *Acidum* peccabit vel in *quanto*, dum abundat aut *nimis acre* est; vel in *quali*, dum p. n. habet saporem *austerum*, *ponticum*, *&c.*; exinde enim sanguinis coagulationes, ut in pleuritide, fames canina,

nina, & quædam picæ, tormina colica, dolores arthritici fixi & vagi, concretiones calculosæ, affectus nephritici & catarrhales, scorbutus, passiones hypochondriacæ: ad quas etiam pertinent suffocationes dictæ hystericæ, aliisque in nerveis partibus convellentes spasmi, item febres acutæ cùm inflammationibus erysipelaceis conjunctæ, originem ducunt.

§. LXIV. *Corrigunt hoc acidum in genere* (1.) omnia *salia urinosa* seu alcalia, tàm *fixa*, ut sal absinthii, centaurii minoris, cardui benedicti, &c. quàm *volatilia*, ut spiritus salis ammoniaci, spiritus & sal cornu cervi, sanguinis humani, nasturtii, menthæ, cochleariæ, &c. (2.) omnia *concreta quasi terrea & metallica fixa*, istud absorbentia, aut potiùs invertentia, v. g. ♂ & omnia ♂ialia, it. ♄nina, saccharum ♄i, item antimonium diaphoreticum, C. C. ustum & sine igne præparatum, lapilli ♋rum, corallia, & omnia dura marina, ac animalium ossa (3.) *oleosa & pinguia*, quæ obtundunt & inviscant quasi aculeos acidi, sive sint expressa, sive, quod meliùs, destillata, ut spir. vini, oleum destillatum caryophyllorum, macis, &c. quo & succinata, camphorata, castorina, &c. pertinent.

§. LXV. *Amarum*, seu *acidum volatile oleosum*, alcali volatili plus minus saturatum (unde oritur bilis, corporis balsamum) peccabit vel in *quanto*, dum abundat, aut nimis acre volatile & oleosum existit; vel in quali, dum oleositate ejus vitiatâ, imprimis dum hæc est minus volatilis, sed potiùs aquea, adeoque iners reddit adjunctum sibi sal urinosum; unde à priori effervescentiæ sanguinis auctæ, indeque ardores totius corporis plus minus continui, oriuntur; vel si in intestinis fiant, phlogoses vagæ, item diarrhææ colliquativæ, choleræ, &c. oriuntur; à posteriori verò decolorationes variæ corporis, sub cachexiæ & icteri generali nomine notæ, dependent: fomes itidem hac ratione existit, sustentans omnes morbos chronicos, minus sc. corrigendo acidum viscidum.

§. LXVI. *Corrigunt hoc amarum*, & quidem in specie prius ejus peccatum (1.) omnia *acida*, alcali ejus præcipitantia, ut ✠, succus citri & berberum, spir. minerales acidi, simplices & compositi (2.) *sulphurea* mineralia cum nitro fixata, figentia volatilem orgasmum, & hebetantia pinguedine suâ; sub qua occultatum est acidum, ejus acrimoniam, ut sunt ♀ commune, omnia antimonialia fixa, v. g. antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, item sulphura alia metallica dicta; & (3.) *nitrum*, & omnia cum & ex nitro parata remedia, ex acido ♀ea. *Posterius verò* ejus vitium corrigunt omnia *acria*, plus minus *oleosa*, augendo acrimoniam ⊖inam, & volatilisando oleum, ut ⊖ia volatilia oleosa, item omnia aromata & aromatica, febrifuga, & similia, ut absinthium, gentiana, mentha, &c. qua ratione absinthium hydropes, chelidonium majus icterum, &c. curare solent.

§ LXVII. *Insipidum* denique aut *dulce* ac *chylosum peccat* vel *in quanto*, si copiosiùs, quàm par est, coacervetur; vel *in quali*, dum est *nimis viscidum*, & quod *frequentiùs*, conjungitur ipsi *vitiosum acidum: hinc enim imprimis ex viscido acido quamplurimi morbi chronici*, febriles, cachectici, viscerum infarctus ac tumores, & ductuum obstructiones, *originem ducunt*.

§. LXIIX. Corrigunt hoc ipsum præter evacuantia superfluum vel per os vel per alvum (1.) *attenuantia & resolventia salina temperata*, qualia sunt remedia tartarea ex tartaro vini parata, ut ♀ ⊕latus, ⊕ ⊕latum, ⊖✱, ⊖ia alcalia fixa, & volatilia ex animalibus acriora, ⊖♀ tinctura, ♀i, ♀i, ⊖ volatile tartari, item spiritus carminativus, &c. (2.) *resolventia gummosa*, ut sagapenum, mastix, myrrha, primariò gummi ammoniacum (3.) *aromatica seu salina volatilia plus minus oleosa*, vulgò aperientia, item hepatica, &c. appellata, ut absinthium, centaurium minus, fœniculum, rosmarinus, mentha, angelica, galanga, &c.

§. LXIX. *Hæc ipsa* mutatis mutandis *facilè applicari possunt tritæ in scholis Medicis doctrinæ* de *cacochymia pituitosa, melancholica & biliosa*; intelligendo per *pituitam insipidum* seu *dulce chylosum*, per *melancholiam acidum*: nam & ab *Hippocrate* sub nomine acidi venit, & apud Galenicos & Hippocraticos subinde aceto comparatur, cujus acidi summus gradus maximè corrosivus volatilis *atra bilis* appellatur: per *bilem denique amarum* seu *sal volatile oleosum*, aut *acidum volatile oleosum*.

§ LXX. Nam *vulgata doctrina de quaternione humorum* naturalium sanguinis, & inde derivatis excrementis biliosis, pituitosis, & melancholicis, tàm naturalibus, ut vocant, quàm præternaturalibus, *falsis præconceptis nititur hypothesibus*.

§. LXXI. Nempe quaternioni elementorum superstruitur: unde consequenter & quadruplex partium diversitas, indeque totiplex pro iis sustentandis nutrimenti differentia, & exinde 4. humorum in sanguine distinctio, hinc & exinde nati cœteri humores p. n., per multiplicem caloris nativi gradum continuatâ serie derivantur.

§. LXXII. *Sanguis simplex* saltem *& homogeneus est liquor* salinus volatilis oleosus; *nutrimentum* verò partium saltem *duplex: chylosum* pro spermaticis, *sanguineum* pro sanguineis. *Bilis* folliculi fellei tantum abest, ut excrementum sit, ut potiùs saluberrimum corporis totius sit *balsamum*. *Humor* verò *melancholicus naturaliter est nullus* (de hoc eleganter disserit CONRINGIUS,) uti nec p. n.: imò lienis officium circa eum saltem ex arbitrio assumptum.

§. LXXIII. *Quæ verò in sanguine, venæ sectione emisso, apparet humorum discrepantia*, nata est (1.) ex sanguinis extravasati necessaria corruptela & cadaverisatione (2.) ex superficiei ejus ab aëre ambiente plus minus inducta alteratione, unde superficies coccineo nitore splendet, fundus verò inferior coagulatus obscurè nigricat.

§. LXXIV. *Excrementorum* per alvum & os quod attinet diversitatem, ea sub tali forma in corpore antea non extiterunt, sed fiunt saltem per mutuam diversorum succorum in primis viis miscelam, unde secundùm effervescentiæ & præcipitationis rationes, aliasvè similes alterationes, tam discrepantes emergunt excrementorum differentiæ.

§. LXXV. Speciatim fiunt vel (1.) ex varia *chyli corruptione* in stomacho & intestinis, qua ratione infantes copiosissima flava subinde rejiciunt, quæ tamen non sunt biliosa, & ceu dulcia devorantur avidè à canibus, sed sunt lac sub digestione, aut per intestina distributione, corruptum, in tale flavescens liquamen degenerans.

§. LXXVI. Vel fiunt (2.) ex *bilis & succi pancreatici*, nunc seorsim nunc simul *alteratorum* miscela, unde & ipsorum unitorum & chyli permisti & fæcum alvinarum variæ larvæ præter naturales, v. g. porracea & æruginosa dicta bilis: Ex succo scil. pancreatico nimis acido, cum bilè vitiosè effervescente, unito, & ita bilis colorem per præcipitationem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0038-4 DFG

tionem alterante, oritur; unde & manifestè acidum spirant talia rejecta, &, v. g. in infantibus, excitantur semper tormina, ex acido corrupto oborta, & per acidum destruentia, coralli, crystallum, lapillos cancrorum, & similia, curantur.

§. LXXVII. Vel originem ducunt (3.) ex ipsis medicamentis, succos corporis variè alterantibus & immutantibus, in specie *purgantibus*. Nam *Salia* ritè operantia semper excreta nigricantia reddunt: rhabarbarum & aloë tingunt eadem intensâ flavedine, unde ea bilem evacuare vulgò æstimantur: colocynthis crassa & viscida emitti facit, qui non solùm sunt pituita præternaturalis, sed reverà succus nutritius à malignitate laxantis simul corruptus: opuntiæ majoris succus urinam rubram reddi facit, cui terebinthina, juniperus, nux moschata, &c. odorem violaceum tribuit: fœtorem econtrà impertiunt allium, asparagus, &c. Denique Mercurialia sub forma salivæ viscidioris nutrimentum partium spermaticarum liquefactum evacuant.

§. LXXIIX. Morbosis his causis conjuncta est *quædam conditio*, ut nunc *benigna*, nunc ratione symptomatum extra ordinem periculosorum *maligna* dicatur. *Natura malignitatis admodum intricata est*: sive enim singularem *putredinem*, sive sanguinis *coagulationem*, sive sanguinis *nimiam dissolutionem*, sive *verminosam putredinem & corruptionem*, asserere velimus, nunquam tamen universalem malignitatis rationem exhauriemus.

§. LXXIX. Reverà autem *malignitatis ratio generalis* in hoc consistit, ut summum vitæ inferat periculum, qua ratione idem ferè erit cum venenoso: sive *sanguinem ejusque spiritum vitalem solum*, sive *spiritum animalem nervorumq; systema* solum, sive *utrumque simul, afficiat*; *specialis* verò *ratio* in *singulis* morborum *malignis causis* & ipsa distincta est.

§. LXXX. *Alia* enim *ratio* est *dysenteriæ malignæ*, alia *variolarum*, alia *pestis*, alia *purpuræ puerperarum*, alia *in catarrhis epidemicis*, alia *morsus canis rabidi*, *&c.*: unde & symptomatum diversitas ubique emergit, ex quibus diversis malignitatis ratio distincta facilè postmodum conjecturari potest.

§. LXXXI. Productum morbosum variè affligens, multarum tamen molestiarum origo, in specie in abdomine, sunt *flatus*; meritò ab HELMONTIO ad *gas sylvestria* seu *spiritus incoërcibiles* relati. Generantur neque à calore, neque à frigore per se, sed tantùm ab acido præternaturali, mediante vitiosa fermentatione ex materia quacunque, utplurimum tamen aliquid viscditatis aut glutinositatis oleosæ in recessu habente; unde & hypochondriacis, similibusque, vitio fermenti ventriculi vel succi pancreatici vitiosè acidorum, ex quibuscunque assumptis copiosissimus flatuum est proventus.

§. LXXXII. Ordinatiè quidem *flatus cum exhalationibus & vaporibus confunduntur*, sed falsò: nam *vapores* sunt effluvia humida, beneficio caloris soluta, frigoreque condensabilia, unde condensati flores & fuligo vocantur; econtrà cum hic nullum habent commercium flatus: quippe qui non possunt coërceri seu reduci in corpus visibile & palpabile, unde frustrà sunt, qui spiritus ex musto exhalantes, applicato alembico, volunt capere.

§. LXXXIII. Cœterùm *flatus sunt vel naturales, vel præternaturales*. *Naturales* semper in omnibus subjectis reperiuntur, ideò, ut parietes intestinorum distentos servent, ne invicem collabi queant, ac gignuntur ex muco acido, naturaliter in intestinis contento, concurrente bile; ita enim enascuntur flatus sulphurei, fœtidi, & inflammabiles.

§. LXXXIV. Hinc *aromatica flatuum sunt medicamina*, corrigendo acidum, & resolvendo viscidum. Ipse *spiritus nitri, acidus* licèt, reliquis tamen præfertur, imprimis *spiritu vini dulcificatus* & temperatus, nobisque sic magis appropriatus redditus, figendo spiritus erumpentes flatuosos, & impediendo fermentationis impetum.

§. LXXXV. *Calculorum concrementum salinum* est, per coagulationis modum genitum, dum vitiosum acidum ex primis viis, in specie ob stomachi errorem elapsum, ubicunque invenerit alcali purius, cum eodem se unit, & quicquid conveniens aptumque unioni simul invenerit, unà in firmam compaginem coagulat, & calculorum varietatem sic constituit.

§. LXXXVI. Hinc vix, præterquam in *renibus & folliculo felleo frequentiores sunt calculi*, propter alcali ibidem copiosius hærens, quod v. g. ex urina salsa per aliqualem putredinem resolutum purius emergens, cum acido facilè coit, nunc in arenulas minores, ex quarum coagmentatione majores resultant calculi, nunc mox in majora concrescit saxea monstra.

§. LXXXVII. Hæ ipsæ autem causæ, cùm subinde non minus, quàm morbi partium afflictarum, in obscuro lateant, & sensibus directè non pateant, ob id per *certa media, signa diagnostica dicta*, hæc tria à Medico perscrutanda sunt.

§. LXXXIIX. *Signa* hæcce *ex tribus* primariò universalibus emergunt *fontibus*: nempe (1.) ex *antecedentibus*, seu *causis* tam *internis* quàm *externis* tàm *communibus* quàm *propriis*: ad quod posterius subjecti quoque constitutio pertinet, quatenus exinde inclinat ad hunc vel istum affectum, tàm nativa, ratione idiosyncrasiæ naturalis, proprietatùm hæreditariarum, sexus, &c. quàm adventitia, ratione ætatum, victus, & vitæ generis. (2.) *consequentibus seu effectis*, quo, præter symptomata quæcunque, juvantia & nocentia, referenda sunt; & (3.) *essentialiter inhærentibus* seu *objecto cognoscendo* propriè attributis: quo omnia, quæ quacunque ratione cognitionem Medici dirigunt, facilè referri possunt: quorum plurimorum concurrentium signorum *syndrome talis*, quæ omni, soli, & semper tali objecto convenit, *pathognomonicum signum appellari solet*.

§. LXXXIX. *Fundamentum significandi seu signorum consistit in ejus coharentia certa, eaque vel necessaria, vel contingente cum signato*; ita ut tanquam causa & effectus cohæreant, vel per accidens subinde se mutuò consequantur, vel quocunque alio modo mutuò inter se connexa sint.

§. XC. Signa inter hæcce, tàm quæ in diagnosi, quàm etiam prognosi, locum habent, primatum obtinent ea, quæ *ex urina & pulsibus desumuntur*, cùm hæc virtutis vitalis rationem in sanguine fundatam immediatè designent.

§. XCI. Uti enim *urina potus* monstrat alimenti in primis viis alterati, & digestionis ibidem peractæ, conditiones; ita urina sanguinis monstrat hujus constitutionem, ex particularum ejus liquorem componentium, imprimis salinarum, fermentatione oriundam, & pro ratione vel puritatis vel impuritatis cacochymicæ subinde variat.

§. XCII. *Pulsus* autem ipsius turgescentiæ in præcordiis vitalis insinuat statum, distributionisque sanguinis ex corde in omnes partes, rationem: ita tamen, ut diversarum circumstantiarum concursus non ratò fallax, minusque certum reddat indicium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0039-3 DFG

§. XCIII. Necesse est, ut Medicus pulsum in utroque carpo simul exploret, quia deprehenditur insignis inter illos differentia nonnunquam: sic enim ob tumorem circa axillas contentum pulsus in uno carpo optimus, in altero deficiens, observatus est à SCHENCKIO & RHODIO. Porrò Medicus pulsum tangens non contentus sit unâ vice eum tetigisse, sed laborem repetat bis vel ter, quia ratione affectuum omnes pulsus mutantur. Tandem fallit pulsus in morbis malignis, & de hinc in scorbuticis & hypochondriacis.

§. XCIV. In pulsu 4. requisita sunt observanda: (1.) *cor movens*; hinc pulsus est vel *vehemens*, vel *debilis*. (2.) *sanguis* promotus *turgescens*; unde pulsus est vel *magnus*, vel *parvus* (3.) *instrumentum*, per quod fit motus, nempe arteria; unde pulsus est vel *mollis*, vel *durus*. (4.) *tempus*, quod mensurat motus durationem, observabile vel saltem in *una pulsatione*; unde pulsus est vel *celer*, vel *tardus*: vel in *pluribus pulsationibus*; unde pulsus vel *frequens*, vel *rarus*: quæ ipsa temporis ratio utplurimum à N. diversa sanguinis sub fermentatione conditione dependet.

§. XCV. Simplices hæ invicem collatæ compositas dant pulsuum differentias, quæ, habito mutuo inter eas respectu, vel æquales sunt vel inæquales: sicut diastole arteriæ collata cum ejus systole pulsum dat vel ἔυρυθμον vel ἄρρυθμον.

§. XCVI. Omnes hæ differentiæ, quo plus recedunt vel à statu naturali, vel conditione ægri, vel ratione morbi & causæ morbificæ, eò sunt pejores; quo minus; eò meliores: in specie *debiles, frequentes, parvi, &c. simul sunt omnium pessimi.*

§. XCVII. Urinæ judicio utut vulgus multùm tribuat, tamen præterea, quæ suprà fuêre insinuata, nil aliud, quàm partium urinæ secretioni & exclusioni dicatarum conditionem significat.

§. XCIIX. Considerandum in ejus inspectione (1.) ipse *liquor lixivialis* continens (2.) *contenta varia* in eo natantia. *Liquor exhibet consistentiam* vel crassam vel tenuem, imbibitorum salium oleosorum cum liquore probè unitorum, majorem vel minorem copiam consequens. Deinde etiam exhibet tincturam vel naturalem citrinam, vel præternaturalem, tàm deficientem albam & plus minus pallidam, quàm excedentem flammeam, croceam, rubram, viridem, nigram, &c. deficientes fermè tincturæ utplurimum cruditates digestionis primæ consequuntur; excedentes aut fortem admodum lixivii per copiosa salia saturationem, aut p. n. in sanguine fermentationem, dissolventem & subigentem exactiùs salia sulphurea, eaque fortiùs quasi liquori incoquentem præsupponunt.

§. XCIX. Tincturæ in urina affectio est, quando urina interdum *pellucida* seu *clara*, interdum opaca seu turbida conspicitur. Illud dependet ab exacta unione particularum salinarum cum poris liquoris aquei, unde radii luminosi æquali ferè tractu maximâ ex parte permeant: Hoc verò (nempe *opacitas*) dependet ab eorum separatione & quasi præcipitatione, vel ab aëre externo frigidiusculo poros liquoris constringente, & ita particulas imbibitas extrudente, vel ab interna recrementorum cacochymicorum ex massa sanguinea mediante fermentatione præcipitatione, & instar fæcum separatione, unde radii luminosi hinc inde impingentes in transitu prohibentur, & ita liquorem minus perspicuum exhibent. *In genere omnis turbida urina latens acidum continere videtur.*

§. C. *Contenta* in liquore lixiviali ratione situs triplici modo distincta in sanitatis latitudine cruditates chylosas, vitio digestionis primæ coacervatas, sanguinique non assimilabiles, latice urinario, absorptas exhibent: in statu verò præternaturali pro circumstantiarum ratione mille modis variant.

§. CI. Quoad odorem, si excessivè sit fœtidus, nec proveniat ab assumptis, innuit sæpè malignum morbum, liquescentiam nempe massæ sanguineæ, & putredinem pestilentialem, quod Italorum est ἰκμήλιον.

§. CII. *Jam verò in morbis* acutis febrilibus, quo magis præcipitatis fæculentiis ex sanguine repletur urina, unde diversas recipit affectiones, adeoque coctionis, ut vocant, causæ morbificæ signa exhibet, eò melior est; *contrario* si habeat *modo, eò pejor.*

§. CIII. In chronicis simili ratione, quo magis heterogeneis sanguinis particulis, ceu copiosis contentis, prius onerata, postmodum successivè in naturalem statum remeat, & ita digestionis primæ redintegrationem, & M. S. depurationem, & naturalis fermentationis restaurationem, ostendit, eò melior esse solet: contrarium fit, si alio modo se habeat.

§. CIV. Nubecula in urina in morbis, tam chronicis quàm acutis, est signum redeuntis in stomachum fermenti, & recuperatæ plus minus digestionis.

HYGIENE ET THERAPEVSIS.

§. I.

PRimaria artis Medicæ pars est ea, *quæ media tractat, quibus aut firma conservari, aut labefactata tamen restitui valet sanitas:* illud Hygiene, hoc Therapevsis dicitur.

§. II. *Hygiene* quidem respicit legitimum regimen rerum sex non-naturalium pro statu salubri conservando, & infirmitate præservanda, tam in genere pro quibuscunque hominibus, quàm in specie pro unaquaque determinata ætate, sexu, vitæ genere, &c. id quod vulgò *diætæ* nomine venire solet.

§. III. Fundamentum legitimæ diætæ pro sanitate conservanda, seu legitimum regimen rerum 6. non-naturalium, subministrat CELSVS *l. 1. de re Med. cap. 1.* inquiens: „ *Sanus homo, qui & benè valet, & suæ* „ *sponte est, nullis se obligare legibus debet, ac neque Medico, neque Jatrolepta egere: Id est, nullis strictis diætæ* „ *legibus se alliget, sed suâ libertate utatur: aliàs Me-* „ *dicè vivere, esset pessimè vivere.*

§. IV. Sed cùm ex HIPPOCRATE *consuetudinis* maxima sit vis, & in aliam transmutandi naturam efficacia, ejus dictamen in rerum non-naturalium usu imprimis est observandum.

§. V. Sanitatis verò conservandæ medium docet HIPPOCRATES *l. 6. de morb. popular. S. 4.* dum inquit: *Sanitatis studium est, non satiari cibis, & im-* „ *pigrum esse ad labores.* Morbos verò præcavendi „ rationem idem subministrat, dum inquit: *Quiete* „ *& abstinentiâ multi magni morbi curantur*: Hinc enim rectè *sobrietas* totius *diætæ cardo* ab HELMONTIO appellatur.

§. VI. In specie pro ætatum diversitate, & inde dependentibus aliis circumstantiis ad conservandâ sanitatem,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0040-4 DFG

ætatem, diæta ita ordinanda, ut vigor vitalis per legitimum usum rerum nonnaturalium conservetur, morbi verò congrui, seu qui unicuique ætati magis familiares sunt, maturè avertantur.

§. VII. *Infantes* quidem qui familiariter affligunt affectus, utplurimum non, *nisi ex vitiato lactis coagulo*, indeque oriundo *muco* impensè *acido & pontico originem ducunt*: id quod excreta inde per alvum viridia, seu porracea & æruginosa, sufficienter declarant; hæcenim utplurimum acidum spirant, vel alio peregrino charactere insignita.

§. IIX. Hinc præter remedia anisata, lac corrigentia, & terrea alcalina acidum absorbentia, ut lapilli cancrorum, corallia, cornu cervi, sperma ceti, antimonium diaphoreticum, &c. *imprimis laudo salia volatilia, tenellis* insigniter *conducentia, imprimis blandè aromatisata seu oleosa.* Hæc inter excellunt præ cœteris liquor C. C. succinatus, it. spiritus salis ammoniaci anisatus, &c.

§. IX. *Ætas dividitur* in *erescentem, consistentem* & *declinantem*: cujus *divisionis fundamentum* consistit in sanguine, qui in infantibus est instar musti, in juvenibus & viris instar vini generosi, in senibus instar vini acescentis. Aliàs *circumscribuntur ætates per septenarios*, in quibus jam mutationes fiunt; ac originem hæc sententia habet ab *Ægyptiis* atque PYTHAGORA, qui multùm tribuerunt numero septenario & quinario: hinc dependet etiam *ratio crisium*, quæ per 7. circumscribuntur dies, ita ut septimo, decimo quarto & vigesimo primo fiant eædem perfectæ. Similiter hinc nata est *supputatio annorum climactericorum*, per numerum septenarium & quinarium, ita, ut illi sint habendi primarii, hi secundarii.

§. X. In ætate consistente, dum M. S. in suo constituta est vigore & spirituascentia instar vini generosi, observandum cautè, ne vel nimias concipiat effervescentias ebullitionesque, periculosorum morborum acutorum Autores; vel citò nimis in suo vigore deficiat ad præmaturam senilem debilitatem, imprimis per intensiores & crebriores circa studia meditationes.

§. XI. Ibi ergò caveantur nimis generosa alimenta, nimius motus, primario animi, secundariò corporis, & tandem nimia ♀: sed per consvetum, simul tamen moderatum, illorum usum æquabilis sanguinis conservetur motus & fermentatio; cujus ferocior impetus fixioribus, imprimis nitratis, refrænandus, spirituumque efferus motus opiatis sistendus; hic verò spirituosis volatilibus & aromaticis spirituum vigor conservandus, & moderato cautoque ambratorum usu sustentandus.

§. XII. Seniles affectus ex remittente sanguinis fervore, & stomachi deficiente digestione dependentes, per generosius vinum & moderatum gaudium cum aromaticorum volatilium temperatorum usu arceantur.

Synopsin diætæ benevalentium videbitis in BONELTI *Phar. Med. pag.* 46.

§. XIII. Et ita quidem sanitatem conservandi, & morbos præcavendi, rationem docet Hygiene; legitimam verò curandi morbos rationem docet *Therapevsis*, quæ legitimâ agendorum notitia, pro *salubri succursu* ægrorum, instruit Medicum. Notitia hæc curandi vulgò *Medendi Methodus* vocari solet, & reverà in *judicio Medici Practico* consistit, fundato in judicio ejus theoretico.

§. XIV. Quod judicium rationale, memoriæ contradistinctum, in œconomia particulari animali proximè, & in universæ naturæ notitia universali remotè, fundatum, est quod reverà sagacem & prudentem constituit Medicum, artemque ejus conjecturalem, non superficialem aut temerariam, sed fundamentalem & accuratam, constituit.

§. XV. Unde & propter casuum in Praxi varietatem, & circumstantiarum inexplicabiles nodos, morborumque novorum subinde, ex accrescente hominum luxuria, & contagiorum vario connexu, proventum *judiciosus* magis, quàm *memoriâ præditus*, consulendus est Medicus; quatenus *hic non nisi visa aut audita*, ille *planè novâ mentis acie, penetrare valet.*

§. XVI. Est equidem naturæ, morborum medicatricis, minister Medicus, h. e. non agere potest aut debet, nisi quatenus nexus & ordo causarum, corporis œconomiam constituentium & conservantium, permittit, & fundatus est imprimis in vitali sanguinis fermentatione, præsupponente debitam in stomacho & primis viis fermentativam digestionem, nisi *in quantum Adeptus majoribus medendi arcanis instructus, etiam jacentem naturam erigere, & tanquam Patronus & Rector gubernare valet.*

§. XVII. Quo ipso in negotio & *citò* & *tuto* & *jucundè* naturæ succurrere debet, i. e. citra moram, citra recidivæ aut majoris periculi metum, ac cum minima, quantum fieri potest, molestia; quod faciet imitando legitimam functionum omnium rationem naturalem, temperatis imprimis remediis insistendo.

§. XIIX. Præcognoscat ergò, quantum fieri potest morbum sensuum beneficio, in specie *visu* observando ægrum, & *auditu* percipiendo ejus responsa ad quæsita, secundùm HIPPOCRATEM instituenda: *Quæ patiatur, & ex qua causa, & quot jam diebus, & an venter secedat, & quo victu utatur?*

§. XIX. Hinc præcognito morbo invenit & legitimè applicat remedia Medicus, h. e. non solùm, quid ipsi agendum sit pro cura, sed etiam legitimum administrandi modum, in circumstantiis externis fundatum: hoc simul subindè observando: *interdum optimam esse medicinam, nulla uti medicinâ.*

§. XX *Media*, quibus *invenit remedia*, sunt *tria*: nempè (1.) *ratio*, in *œconomia animali* & *historia naturali fundata.* (2.) *Experientia*, in plurimis æqualibus *exemplis observata*; (3.) *Analogismus*, *ex similitudine affectus ignoti cum alio cognito hauriendus.*

§. XXI. Ex his *Experientia primatum obtinet*, illustrata imprimis per rationem: Nam omnis ratio in rebus naturalibus sensuum necessariò præsupponit observationem, adeoque experientiam. *Hinc omnis specificorum remediorum efficacia*, quæ HELMONTIO *dicuntur appropriata, casu utplurimum observata, per experientiam confirmata, & hinc per rationis scrutinium illustrata* fuit.

§. XXII. Equidem experimenta specifica in omnibus subjectis eundem effectum semper habere nullo modo possunt; quin interdum & ipsa sunt frustranea, idque propter idiosyncrasian uniuscujusque individui specialem, nunc seminalem, nunc adventitiam; propter quam necessariò habitudo seu respectus, quem habet remedium, tanquam agens, ad corpus ægrum tanquam patiens, variat. Hinc v. g. pulvis jalappæ ad ℈j. quamplurimos copiosè, hunc vel illum interdum planè non purgat; exinde tamen hujusmodi experimenta specifica statim tanquam nulla rejicere, planè insulsum est. Nam *in rebus contingentibus talibus ea, quæ utplurimum ita fiunt, necessarii effectus locum obtinent.*

§. XXIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0041-9 DFG

§. XXIII. Contraria contrariis curari vulgò asserunt, & rectè quidem; quicquid etiam contrà disputet HELMONTIUS *Tr. Natura Contrar. Nescia*; & in specie §. 16. & *Tr. Ignota Act. regim*: saltem est logomachia. Nam non intelliguntur formaliter contraria, qualia saltem sunt in animalium genere per affectuum exorbitantias sibi invicem hostiliter repugnantia, sed intelliguntur effectivè talia, h. e. quæ simul in uno subjecto consistere nequeunt, sed unum alterum tollit, aut ejus activitatem saltem impedit, quale contrarium est v. g. inter acidum & alcali, se mutuò destruentia & corrigentia.

§. XXIV. Dum ratione rectâ invenit remedium, *Indicatio* dicitur, in qua ex *Indicante* colligit *Indicatum*, propter naturalem ad se invicem connexum. *Indicans* est ipsa natura, morborum medicatrix, quæ & sui conservationem naturalem per similia sibi in *Indicatione vitali* seu *conservatoria* innuit, & præternaturalium ablationem per horum destructiva seu contraria in *Indicatione ablatoria* postulat; sive causam, sive morbum, sive symptoma ob vitæ periculum cupiat ablatum.

§. XXV. *Remedia* talia *triplici* ex *fonte* haurit Medicus: nempè *Pharmaceutico, Chirurgico, & Diætetico. Pharmaceuticus fons* tribus quasi rivis in tria *regna, animale, vegetabile, & minerale*, distribuitur.

§. XXVI. Usurpantur talia vel internè, sive saltem in primis viis suas operationes exerant, v. g. vomitoria, ♂ alia, fixa terrea, &c. sive ulteriùs dissoluta ad vias urinarias, aut per integram massam sanguineam distribuantur, v. g. terebinthinata, ⊖ia volatilia, &c.; vel externè horum particulæ poris proximè sese insinuando, tàm immediatè partem subjectam alterando, quàm mediatè sanguinem etiam simul afficiendo, operationes suas peragunt, qualia sunt illita olea destillata, inunctiones mercuriales, &c.

§. XXVII. *Contactu corporali* ad partes corporis, & *materiali sui cum succis* ejus *miscela*, utplurimum operari videntur medicamenta, in specie ea, quæ potentias morbosas Hippocraticas corrigere, & alterare debent; hæc enim per texturam suæ substantiæ materialem, in specie ⊖inam, hoc ipsum præstant.

§. XXIIX. HELMONTIUS equidem *ab ideis peregrinis in Archæo pictis morbos* imprimis *oriri vult*, unde hisce etiam *idealiter operantia opponit remedia*, asserendo, reverà medicamentorum efficacium *operationem consistere* in quadam *vi irradiativa archæi, citra ullum contactum vel miscelam corporalem, ut exinde deletâ ideâ morbosâ archæus novam ideam rerum agendarum* sibi *fingat*, pro sanitate denuò consequenda; pro quo scopo imprimis sulphura metallorum fixa, in specie ♀ Veneris seu sulphur cupri ex ejus vitriolo, commendari solent: vid. *Tract. in Herb. Verb. & Lapid.*

§. XXIX. Sed cùm jam dicta *remedia* partim immediatè, ☙ *animales afficiendo*, partim mediatè & per accidens *succos* in primis viis *alterando*, effectus suos edant, nec vitrum antimonii & ☿ vivus ab alteratione immunes sint, quin acor vini vel aceti à vitro vel regulo antimonii subtilissima tamenta abradat, & horum poris se insinuando horum defectum suppleat, omninò hæc pro materiali suo concursu, corrigendo fixiores radices morborum chronicorum, operabuntur, *ut ideò ad vim radiativam, nondum satis cognitam confugere, non opus sit.*

§. XXX. Certum enim est, pati omnia medicamenta aliquam, plus minus tamen, alterationem in stomacho, ratione fermenti digestivi; & in primis viis, ratione confluentis bilis & succi pancreatici: unde etiam plus minus infringuntur, adeò, ut exinde diversa subinde ejusdem remedii in eodem etiam subjecto sit operatio, tantò magis in distinctis, prout istorum succorum in primis viis major minorvé est alterandi potentia. Hinc enim v. g. suprà dicta jalappa hunc fortiter purgat, illum ferè nihil; hunc colocynthis fortiter purgat & torquet, illum parum admodum afficit: unde & *venis canum infusa purgantia, narcotica, &c. operantur promptè & efficaciter*, quæ iis *interiùs propinata, ob sui alterationem, nullum edebant effectum.*

§. XXXI. Non tamen omnem Medicam virtutem semper exuunt, sed de crasi concreti sub digestione aliquid, plus minus tamen, retinentes adhuc operantur; unde non tantùm alimenta quædam sunt medicamentosa, ut armoracia, nasturtium, sinapi, &c. sed etiam lac nutricis ex assumpto purgante vim purgantem retinet, ab absinthii usus febribus intermittentibus conducit, & terebinthina, abstergendo & confortando vias urinarias, violaceo odore urinam fragrantem reddit.

§. XXXII. Ex eo tamen, quod misceantur cum succis in primis viis, & stomacho, & ita non leviter subinde alterentur, certum videtur, quædam medicamenta in dictis locis demum ex dicta miscela & alteratione certam vim medicamentosam novam acquirere, quam formaliter anteà non habebant.

§. XXXIII. Sicut enim in operibus chymicis ex combinatione quorundam corporum, nova subinde fiunt producta & concreta, v. g. terra sigillata, creta, &c. imbibitione ☙ nitri aut ♃is, texturam, indeque attributa omninò aluminosa, potenter adstrictoria acquirunt; ita talia assumpta attactu succorum fortiter acidorum in stomacho vel intestinis vim adstrictoriam longè potentiorem, quàm in se anteà habebant, necessariò acquirunt. Sic ⊖ia alcalina, aut econtrà assumpta acida, subinde alterari, & alterata vim aliam acquirere, quam ex se non habebant, ex dictis evidentissimum est.

§. XXXIV. *Adhibentur autem rariùs nativa sub forma medicamenta*, sed utplurimum arte priùs præparata: (1.) Ut faciliùs vel assumi, vel aliàs corpori meliùs adaptari queant; (2.) Ut vis eorum specifica & medicamentosa, vel nimis occultata, vel aliorum nativâ concretione obruta, foras eliciatur meliùs. (3.) Ut si adsit aliquid virulentiæ & heterogeneæ, aut nocivæ potentiæ, hoc vel omninò castretur, vel corrigatur.

§. XXXV. Sed sub his præparationibus, in specie, quæ à Chymico fiunt, observandum, quod subinde vires nativæ destruantur, aliæque novæ ipsis concilientur; idque vel per syncrisin, vel per diacrisin, vel per metastasin particularum minutissimarum: ad quas & fixorum volatilisatio, & volatilium fixatio referenda.

§. XXXVI. Notum enim est, quod pro varia præparatione ♂ sit vel *vomitorium*, vel *catharticum*, vel *sudoriferum*, vel *sanguinis depurativum*, vel *confortativum*; quod ○○ venenosum per nitrum *cicuretur* pro desperatis ulceribus, imprimis etiam cancrosis; quod *asarum* solâ in ▽ coctione *amittat vim vomitoriam*, evadatque *diureticum*, & *morborum chronicorum* tardarumque *febrium remedium.*

§. XXXVII.

§. XXXVII. Et ſicut ex coalitu nitri, ♀is & carbonum, fit *fulminans pulvis pyrius*, non ſecus ac omnia metalla hac ratione fiunt fulminantia; quæ vis oritur ex ſola dictorum compoſitione, cùm neutrum ſimplicium ingredientium vim talem prius poſſideat; ita etiam per plurium compoſitionem ſubinde vis nova Medica emergit, quæ anteà non erat: Sic enim *Mercurius vivus*, innocuus pro uſu interno, additione ⊖is communis in Mercurio ſublimato, fit venenum acre & corroſivum; quod ſociatum novo Mercurio vivo, dat Mercurium dulcem, optimum purgans Venereorum, ſcabioſorum, epilepticorum, &c.

§. XXXIIX. *Hinc meliùs & tutiùs eſt uti ſimplicibus, quàm compoſitis*, in quibus facultates multiformes, tàm cognitæ quàm incognitæ, confuſæ citra aut mutuam deſtructionem, aut novæ virtutis productionem, aut ſtomachi primarumque viarum turbationem, ſimul conſiſtere nequeunt.

§. XXXIX. Quod ergò in ſpecie attinet remotionem cauſarum morboſarum, *Plethoram veram tollimus*, vel confertim, tàm per vaſorum, ſive ſint *venæ* ſive *arteriæ*, *apertionem* & ſanguinis emiſſionem, quàm per *cucurbitularum* cum ſcarificationibus applicationem, aut per hirudines applicatas; vel pedetentim per inediam, labores, exercitia, ſudores repetitos & fontanellas.

§. XL. *Fontanella* enim nil aliud eſt, quàm *ulcuſculum artificiale*, quod ſub forma transmutati puris vel ſaniei continuò plorat alimentum partis proximum, ex maſſâ ſanguinea eò derivatum, adeoque ſimul & ſanguinem & quoscunque vitioſos ſuccos, eidem fortè permiſtos, unà evacuat, ne coacervati aliis in locis dent turbas; ita ut fonticulus *ſit ſaltem remedium palliativum, quod à poſteriori, evacuando productum morboſum*, ne nimis noceat, *non à priori removendo cauſam radicalem, opem fert.*

§. XLI. *Plethora apparens* non per effrenes cruoris vitalis depletiones in venæ ſectionibus, ſed potiùs per repetitum præcipitantium, ſimulque blandè diaphoreticorum, uſum eſt corrigenda, ut ita ceſſet ſanguinis ferociùs ebullientis impetus.

§. XLII. Per ſe ergò ſoli ſanguinis evacuationis ſcopo ſatisfacit venæſectio, *nullo modo refrigerans*, niſi ad veterum imitationem ad animi usque deliquium evacuere velimus: per accidens tamen interdum etiam aliis ſubinde uſibus conducit, v. g. urinæ ſuppreſſioni, partui difficili, caſui ab alto, &c.; quatenus imminuto ſanguinis quanto liberior ejus per vaſa fit circuitus ſeu ventilatio, adeoque impedimenta, ex ejus aliquali ſtagnatione oriunda, removeantur.

§. XLIII. Et hac ſolâ etiam ratione, nempe quod *imminuto* ſanguinis *quanto promoveatur liberior ejus circulatio, & impediatur ejus in quadam parte ſtagnatio*, juvant eæ *ſanguinis detractiones*, quæ vulgò pro ſcopo revulſionis, averſionis & derivationis inſtituuntur: *nam veterum de hiſce hypotheſes, ſtante ſanguinis circulari motu, conſiſtere nequeunt.*

§. XLIV. *Interceptiones* denique & *repulſiones* ſanguinis aliorumque humorum planè ſunt impoſſibiles, ob inviolabilem circulationis legem, aut admodum nocivæ ob impeditum ſanguinis motum. Nam ſi per arterias intercipere velimus ſanguinis motum, pars gangrænata morietur; ſi per venas velimus repellere, & ut ſolent, adſtringentia aut refrigerantia aut acida uſurpemus, magis coagulabimus, & ita immobilius reddemus, quod in naturalem motum reſtituendum eſt.

§. XLV. Potiùs *reſolvendo ſanguinem ſtagnantem*, aliosque *humores impactos*, *per blanda ſudorifera ſanguinem diſſolventia, & motui aptiorem reddentia*, qualia ſunt v. g. ſalia volatilia, ♏ ⊖*ci, item antimonium diaphoreticum, corallia, lapilli cancrorum cum aceto aſſumpti, & removendo quæcunque impedimenta externa, *curabimus facilè per diaphoreſin, quod per interceptiones & repulſiones fruſtrà, ſæpè periculoſe, tentamus.*

§. XLVI. Quod ſi non *tam quantitate peccet ſanguis*, *ſed potiùs ex vitiata craſi* ſeu qualitate vitioſus exiſtat, adeoque tàm ipſe, quàm cœteri inde derivati, corporis œconomiam ſuſtentantes ſucci cacochymi fiant, corrigi debent vel *per alterantia*, vel *per evacuantia.*

§. XLVII. *Alterantia ſunt*, quæ partes ejus vitioſas corrigunt, & emendant & temperant, deficientes reſtituunt, abundantes aliarum additione ad debitam proportionem reducunt, & ita ſanguinis æquabilem fermentationem, & omnem ſuccorum debitam ad ſe invicem proportionem, reſtituunt.

§. XLIIX. Unde dum *vitioſum acidum aut ſalsacidum peccat* in malo *hypochondriaco* aut *ſcorbuto*, iſtud *alteratur nunc* per *Martialia*, *iſtud abſorbendo*; nunc per *cochleariam*, aut *naſturtium*, aut *armoraciam*, *alcali ſuo volatili iſtud corrigendo, & additione ⊖is talis volatilis hujus defectum augmentando*; nunc per *lac* omnem *acrimoniam*, in ſpecie ⊖*ſam*, *temperando.*

§. XLIX. *Primatum* ergò inter alterantia obtinent *acida* & *alcalina* remedia, nunc *acriora*, nunc *oleoſis temperata*: ſed ſicut non acidum aut urinoſum peccat ſimpliciter in morbis, ſed ex principiorum minutorum coalitus ſpecificus cuique adjunctus eſt ſapor, etiam non ſolùm ad contraria ſimpliciter, ſed ſpecifica & appropriata, ſingulariter ſpeciali cauſæ peccantis vitio oppoſita, reſpiciendum.

§. L. *Abſorbentia*, *Præcipitantia* vulgò *dicta*, ſunt, quæ in genere fermentantes aut vitioſè effervescentes humores ſui miſcelâ compeſcunt, & ut plurimum acidum deſtruendo, motum omnem fermentativum ſupprimunt.

§. LI. Sicque vitioſarum & heterogenearum partium excluſionem, & à reliquis ſeparationem, & quoque fæcum in fundum ſeceſſionem, promovent; ut hæ ſero involutæ vel per urinam, tunc coctam dictam, vel per ſudorem, &c. eliminari queant.

§. LII. *Sic* namque *Febrifuga*, *in ſpecie fixa*, tàm *terrea*, quàm ⊖*ia lixivialia*, præcipitando *febriles paroxyſmos tollere* dicuntur.

§. LIII. *Evacuantia denique* ſunt, quæ id, quod p. n. in ſanguine & reliquis corporis partibus reperibile & inalterabile, adeoque œconomiæ animali vel in quanto vel in quali inimicum, per convenientia loca & cribra evacuari faciunt.

§. LIV. Evacuationes hæ ſeu purgationes, uti fiunt per varia loca, alias à natura per motus ſuos criticos demonſtrata, ita nunc totius maſſæ ſanguineæ univerſalis, adeoque totius quoque corporis, nunc certæ cujusdam partis particulariter purificationi proſpiciunt.

§. LV. Univerſaliter purgant vomitus, ſeceſſus, ſudor, urina & ſalivatio; particulariter clyſmata, apophlegmatiſmi & errhina.

§. LVI. *Vomitus* fit, docente hoc in cane vivo diſſecto RUDBECCIO *in Obſ. Anatom. Obſerv.* 20. *in Meſſe Aur.* HEMSTERHUSII *p.* 332. quando primò pylorus ſe contrahit, inde mox ſyſtole totius ab orificio inferiori ad ſuperius ſequitur, ac tandem œſophagi materiam effundenris.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0043-1 DFG

§. LVII. Ita ut *omnis vomitus fiat per spasmum seu motum convulsivum stomachi, oriundum ex lasione seu irritatione pylori, tanquam in stomacho Rectoris, factâ à medicamento assumpto.*

§. LIIX. Cum hoc stomachi convulsivo motu in vehementiori conatu simul convellitur pyloro continuum jejunum, adeoque suos contentos liquores sursum regurgitare facit: convelluntur simul thoracem stringentes musculi, ex connexione nervorum stomachalium cum intercostalibus.

§. LIX. Unde omnia tàm stomacho, quàm intestino duodeno & jejuno, ac vicinis locis, ac pectori, pertinaciùs etiam inhærentia, per vehementem istam contractionem, quasi per vim, expelluntur: unde *chronicis morbis, imprimis ex stomachi vitio ortis, hinc & pectoris affectibus, & tandem malignis ex contagio contractis, sed tantùm in principio, succurrit vomitus.*

§. LX. *Vomitoria omnium optima ac tutissima subministrat antimonium*, in forma tam liquida quàm sicca præscribenda. In liquida quidem vel sub forma sapæ, paratæ ex infusione vitri antimonii pulverisati in s. q. musti recentis, vel succi cydoniorum; hinc filtratione & ad consistentiam Rob liquidioris inspissatæ, dosi gr. x, xv. &c. vel sub forma syrupi & vini emetici, e. g.

℞. *Croci metall. l. ℥ij vitæ, l. vitri ℥ij q. v.* (gr. jv. v. ad vj.)
Infund. in Vino Rhenano, stent in loco tepido per ☉: manè probè filtretur.
dosis ℥j. ad ℥jß. aut ℥ij. in robustissimis,
D. S.
Brech-Wein.

In forma sicca:
℞. *℥i emet. Mynsicht. gr. ij. iij. ad jv.*
sacch. albiss. q. pl.
M. D. S.
Brech-Pulver auf einmahl.

§. LXI. Quod si per artem varia recrementosa per alvum rejiciuntur, *Purgationis* nomine in specie appellatur: nam & natura suâ sponte diarrhæas, nunc in statu sano ex mutato victu vel aëre præservatorias, nunc in statu morboso criticas aut symptomaticas instituere solet, non absque felici eventu. Imitetur ergò eam Medicus.

§. LXII. Cæterùm cum purgationibus, in specie vehementioribus, omnia ferè in corpore turbari soleant, adeoque periculosa subinde sequantur symptomata, ob id exactè consideret Medicus legitimam purgandi rationem, tàm in acutis, quàm chronicis.

§. LXIII. In morbis acutis purgandi methodum optimam præscribit HIPPOCR. *S. 1. Aph. 21. 22. 23. 24. & 25.* in quibus *cocta medicari docet, non cruda, nisi materia turgeat.*

§. LXIV. Quæ medicationis vox non præcisè ad purgationem restringenda est, sed etiam in genere omnem notabilem per secessum, aut urinam, aut sudores, evacuationem innuit, in quibus omnibus cum salutari ægri successu instituendis necessariò coctio prius expectanda est; aliàs enim aut nihil evacuatur, utut totum corpus perturbetur, aut citra euphoriam ægri, potiùs cum nocumento accidit.

§. LXV. Scilicet sicut novella cerevisia aut mustum turbidum, & heterogeneis fæculentis particulis respectu vini permistum, per quæcunque coletur instrumenta, eodem modo integrum transit absque fæculentiarum remanentia aut sequestratione; quod fermentando depuratum ex excrementitiarum aut heterogenearum fæcum separatione & quasi præcipitatione clarum transit per colatoria, & fæculentias omnes relinquit & seponit.

§. LXVI. Ita quamdiu fæces recrementosæ massæ sanguineæ per fermentationis motum separatæ, aut alio modo præcipitatæ non fuerint, tamdiu nihil vitiosi separatim excerni, aut per quæcunque cribra sejungi potest; cùm invicem & homogenea & heterogenea permista sint.

§. LXVII. Non igitur in omni morbo purgandum esse, dicit HIPPOCRATES; sed per rerum non-naturalium usum respiciendum, ut in statu isto proportionata conserventur. Dum verò ab iis secretis & per se existentibus nos lædi affirmat, h. e. ab iis intemperatis, & unum alterum præponderantibus, quid aliud faciendum monstrat, quàm ut potentiam istam excedentem corrigamus & imminuamus, vel quæ deficit, additione similis, augeamus, easque denuò harmonicas & proportionatas reddamus, h. e. morbosas eas naturas ac potentias non abusivè phlebotomandas aut nocivè purgandas, sed contemperandas & concoquendas; adeoque per sapores vel potentias specificè oppositas corrigendas esse: Conf. *Discursus* BECCHERI *in Phys. Subterran. l. 1. S. 5. cap. 1. pag. 366.*

§. LXIIX. Est scilicet humorum evacuandorum *cruditas*, i. e. particularum heterogenearum sanguinis, talis status, quo sanguini intimè permistæ, imperfectè tamen unitæ, naturalem ejus fermentationem turbant, & in effervescentias febriles humores concitant; id quod imprimis fit ab acido vitioso, intimè talia concentrante, & simul heterogenea invicem sociante.

§. LXIX. *Coctio* econtrà est acidi hujus per alcali saturatio, & particularum heterogenearum separatio, atque à reliquis particulis per fermentativum motum præcipitatio, ut ita recrementa & heterogenea ⊖ia, ceu effæta, instar cujusdam capitis mortui à sero, tanquam alimenti pariter ac excrementi communi vehiculo, imbibita per certa viscerum cribra & quasi filtra secerni, & hinc per naturæ consvetas vias evacuari possint.

§ LXX. Propterea etiam criticæ morborum judicationes, sive per accrisin, sive per metastasin fiant, nonnisi in statu morbi, concoctâ jam & separatâ & præcipitatâ omni excrementorum turba, per certa loca, ceu appropriata cribra & filtra, accidunt; nunquam in principio: unde non nisi simili in statu ad ejus prudentem imitationem, quascunque instituamus eradicativas, quas vocant, evacuationes.

§. LXXI. Exinde enim & *urinarium judicium* desumendum, quæ *in acutorum principio*, non *secus ac frequenter in chronicis sunt claræ & pellucidæ, tenus* plus minus tinctæ; quæ præcedente morbo in *incremento fiunt turbidæ, crassæ, & in statu* omninò *copiosis sedimentis*, ceu fæcibus, fundum matulæ petentibus, *saturatæ*; unde illæ *priores cruda*, hæ *posteriores cocta dicuntur.*

§. LXXII. Hinc sicut pulsus manifestat statum sanguinis fermentativum ejusque motum; ita urina monstrat statum sanguinis ex dicta fermentatione resultantem, secundùm puritatem imprimis & impuritatem.

§. LXXIII. In *malignis* verò & *acutis affectibus* non æquè hoc observari potest, quin potentibus & appropriatis

priatis ſudoriferis mox in principio inſiſtendum, ut eliminetur in tempore fermentum malignum, ne unà cum ſpiritibus jam inquinatis totus ſanguis tandem ſimul corrumpatur; habitâ ſimul ratione majoris vel minoris effervescentiæ febrilis in ſanguine.

§. LXXIV. In *chronicis* verò *morbis*, ex ventriculi errato imprimis ſupervenientibus, *purgatio ſucceſſiva* imprimis & per *epicraſin* mitioribus remediis, blandis aloëticis, inſtituenda, ferè ſaltem locum habet, interpoſitis ſubinde alterantibus & ſpecificis, & præmiſſis debitis vomitoriis.

§. LXXV. Quod ſi verò aliquando fortiùs purgandum, aut ſi etiam ad præſervationem morborum certo tempore, verno vel autumnali, idem agendum ſit, ad præcavenda ſymptomata graviora, tormina imprimis & abdominis pathemata, *præmittenda prius* ſunt *digeſtiva*, ſeu excrementa præparantia; horum nempe acrimoniam, in ſpecie acidam, temperantia, & viſciditatem incidentia, ut ita facilior & minus moleſta fiat purgatio.

§. LXXVI. Hunc in finem conveniunt ſalſa temperata, ut ſunt tartarus vitriolatus, ⊖∗, ⊖ digeſtivum hypochondriacum, ⊖ abſinthii, &c. quibus ſubinde aut lapilli cancrorum, aut corallia præparata, aut ſimile quid, ad infringendum magis acidum ſubinde addendum eſt: ſicut ad hoc ipſum dulcificandum in hypochondriacis, Melancholicis & Quartanariis Martialia & Saturnina ſpecialiùs conducunt.

§. LXXVII. Locus expurgationis ſunt inteſtina, in quibus cùm non præexiſtant ea, quæ excernuntur (vix enim capiendis ſufficerent eis, quæ interdum unâ purgatione validiore prodeunt) eò ferunturex maſſa ſanguinea per ductum cholodochum & pancreaticum, quibus natura tunc temporis quaſi abutitur; unde & quæ excernuntur, frequentiſſimè flavedine tincta conſpiciuntur.

§. LXXIIX. Probabilis tamen admodum ſimul PECHLINI videtur ſententia *Tr. de Purg. c. 36.* non his ſolùm viis eructari excernenda in inteſtina, ſed *ſimul etiam per parvos tubulos, intimæ inteſtinorum membranæ affixos, glandulaque miliares*, poſt *intimam inteſtinorum membranam ſitas*, *in dictos tubulos ſe exonerantes*, recrementa varia ex ſanguine ſecreta in inteſtina deponi.

§. LXXIX. Non autem ſtrictè ad inteſtina determinata eſt purgantium operatio: nam dum ſanguinis circulo per corpus rapitur vis medicamentoſa purgantis, hoc ipſo pro adjuncta ſibi facultate ſimul vel nonnihil diaphoretica, vel diuretica, &c. ut & pro certa ſordium expurgandarum à medicamento facta colliquatione & alteratione, ac ipſorum viſcerum conſtitutione varia, nunc per urinam, nunc per ſudores, nunc per ſalivationem, ſequitur catharctici operatio; unde & acriora purgantia in viris Venerem ſtimulant, in mulieribus menſes proritant.

§. LXXX. Equidem optandum eſſet, darentur vera purgantia, h.e. quæ ſordes ſaltem excrementitias, aut heterogenea quæcunque præternaturalia, ex corpore eliminarent, citra utilium nutritivorumque ſuccorum corruptionem ſimultaneam, & depravationem.

§. LXXXI. Verùm, quæ vulgò purgantium nomine veniunt, non ſunt talia, ſed ſub blandiente nomine virulentiam nocivam, plus minus validam, gerunt abſconditam; unde (1.) ſanos ac ægros ut-plurimum æqualiter vexant, & (2.) tot ſordes ſtercorum forma ad 30, 40, imò 70. ſedes evacuant, quas, citra præſens vitæ periculum in corpore ſubſiſtere, impoſſibile eſſet.

§. LXXXII. Unde & (3.) ægri, qui ex legitima purgatione deberent ſecundùm Hippocratem levari, inſigniter ſæpiùs debilitantur; (4.) morbis nihilominus ſub antiqua contumacia perſiſtentibus, cùm nullis purgantibus ſimpliciter curari queant.

§. LXXXIII. Tetra quæ (5.) inferunt ſymptomata, tormina abdominis ſpasmodica, ſubinde in manifeſtas convulſiones terminantia; ac (6.) pernitioſa hypercatharſis non obſcurè malignitatis nocivæ & virulentiæ ea arguunt; unde & (7.) additis correctivis tàm ſtudioſè corrigenda ſunt.

§. LXXXIV. Sanè promiſcuâ virulentiâ & fermentativâ colliquatione promiſcuè tam recrementoſos quàm alimentitios corporis ſuccos reſolvunt & colliquant, & quas non inveniebant ſordes, corrumpendo nempe ſuccos, efficiunt, niſi eorum virulentiam robuſtior paulò ſtomachus, ratione ſucci fermentativi acidi, plus minus correxerit.

§. LXXXV. Simili ſc. ratione atque *Mercurius*, vel inunctus vel aſſumptus, etiam ſaniſſimos, non ſecus ac lue Venereâ infectos, vexat, reſolvendo nutrimentum corporis chyloſum ſeu ſpermaticum, & colliquefaciendo hoc *ipſum*, in formam muci ſalivalis (cum quo tamen & ſordes quæcunque, v. g. in ſcabie, in ſpecie Venereô contagiô alteratæ, unà evacuantur) copioſiſſimi transmutat; ita & *purgantia* ſimili ratione in ſordes transmutant ſtercoreas, quicquid ipſis obtigerit.

§. LXXXVI. Utut enim variis modis corpori applicari ſoleant *purgantia*, externè pariter & internè (nam odoretenus hauſta ſimili ratione ac venis infuſa purgant) tamen *duplici modo imprimis operantur, vel irritando, & acrimoniâ ſuâ pertinaciter vellicando inteſtina.*

§. LXXXVII. Unde non tantùm horum ſpasmi & violentæ contractiones (reiſſen) inteſtinorum, indeque propulſiones excrementorum ſequuntur, ſed ſimul etiam hiantia in ea orificia pororum, cholodochi & pancreatici, item glandularum miliarium, ſimul vibrati, & irritati & vellicati, eructant uberiùs ſua contenta.

§. LXXXIIX. Nam hac ratione *reſinæ cautè propinandæ ſuadent Practici, ne adhærendo viſciditate aliquali inteſtinis hypercatharſin inferant*, continuis acribus punctionibus.

§. LXXXIX. *Vel ſecundâ ratione operantur, ſanguinem, & ipſi inhærentes partes, aut inde derivatos ſuccos certo modo fundendo & fermentando, ac ſimul colliquefactione in corruptelam reſolvendo*; unde ſordes tam variæ, etiam non præexiſtentes, poſt purgans aſſumptum in corpore generantur, & excernuntur.

§. XC. Sub hoc tamen motu, quicquid heterogeneum eſt in ſanguine, & à vitalitate proſcriptum, faciliùs alteratur, & conſequenter ejicitur, quàm quod magis vitale ac utile erit.

§. XCI. Nam hac ratione ſub parva miaſmatis fermentativi mole, odoribus per nares hauſta purgantia æque operantur, non ſecus ac quorum reſinoſæ eſſentiæ venis infuſæ, immediatè ſanguini permiſtæ fuerint.

§. XCII. Omnia ſc. *purgantia acrimoniam habent volatilem* inſignem, utut faucibus non ſemper æquè perceptibilem, *quæ in vegetabilibus fundata*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0045-3 DFG

videtur in sale volatili oleoso urinoso acri; unde ratione adjuncti olei ferè omnia exactè amaricant, indeque visciditatem insignem adjunctam habent, propriè dicta *laxativa*: *In mineralibus verò vis laxativa in textura sulphurea vitriolica, aut sulphure acri volatili quasi arsenicali*, radicata est.

§. XCIII. Hinc enim omnia acida destruunt vegetabilia purgantia varia omninò, item salia fixa, v. g. sal tartari corrigit purgantia, quatenus corrigit eorum oleum, & inde natam visciditatem, colliquefaciendo texturam tesinosam purgantis, tollit: sicuti etiam fermentatio purgantium eadem mitigat, ferociamque nonnihil domat. In mineralibus verò *ea, quæ figunt sulphur volatile*, quæ inter eminet ⦶, tollit eorum, v. g. purgantem antimonii malignitatem, eamque salubertimè diaphoreticam reddit.

§. XCIV. Confirmatur purgantium operandi ratio per ea, quæ *hypercatharsin sistunt, qualia sunt non præcisè adstringentia*, sed imprimis diaphoretica fixa & opiata: Ista corrigendo fermentationem vitiosam inductam, & sudorum forma ejiciendo tàm fermentum purgans, quàm alteratas ab eo partes; quod faciunt v. g. antimonium diaphoreticum, ☵ theriacalis camphoratus, C. C. sine igne, terra sigillata, &c. Hæc verò, opiata scilicet, sensum irritationis in intestinis aliisque locis tollunt, & spirituum animalium impetum, prætereaque quascunque humorum motiones sistunt, unde pacata semper quies.

§. XCV. Promiscuè ergò agunt purgantia in corporis nostri partes liquidas, tam utiles quàm vitiosas; *Et exinde ruit sponte suâ divisio purgantium in Cholagoga, Phlegmagoga, Hydragoga, & Melanagoga*, cùm unum alterumvè purgans loco omnium sufficiat; utut pro circumstantiarum variarum ratione nunc hoc nunc istud, nunc debilius nunc fortius, purgans eligendum sit, experientiâ imprimis magistra.

§. XCVI. Pro morborum quoque varietate solet interdum aliqualis selectus purgantium institui, quatenus sub virulentia laxativa in quibusdam vis specifica causæ morbosæ alterativa est recondita, qua ratione helleborus niger præter virulentiam laxativam etiam specialem habet vim contra affectus Melancholicos, Rhabarbarum ad affectus renales, ☿ dulcis contra virus Gallicum, &c.

§. XCVII. Prout autem plus vel minus erunt efficacia seu virulenta, etiam magis vel minus sanguinem, & mediante eo forsan etiam corporis continentes ac solidas partes afficient: *unde triplex corporis regio*, à veteribus in purgationis negotio asserta, postquam cum sanguinis circulo non benè conveniat, saltem quoad majorem vel minorem purgantium efficaciam intelligenda venit.

§. XCIIX. Scilicet res ita se habere videtur, *si variæ fæculentiæ in intestinis stabularent, aut uberior bilis vel succi pancreatici adsit proventus: hæc commodè lenioribus purgantibus citra corporis commotionem exturbari & quasi abstergi possunt.*

§. XCIX. Quid si craseos sanguinis læsio ex heterogenearum particularum miscela, harum evacuationem postulet, modò aptæ redditæ sint, ut eliminari queant, idque mediante coctione seu separatione & præcipitatione eò deducta sint, quo natura vergit, *i. e.* sanguis & ☵; & corporis ratio & consuetudo, & sordium ipsarum conditio, postulant.

§. C. Quod si purgare velimus, turbanda quidem erit nonnihil massa sanguinea per medicamentum, sed non nimium perturbanda, ut saltem id, quod magis nocivum est, citra succi nutritivi insigniorem corruptelam detrahatur; adeò, ut aliquot saltem sedes, non verò quæ per decades numerari queant, sufficiant.

§. CI. *Aliàs propria sanguinis & totius corporei systematis purgamenta sunt urina & sudor.* Per secessum quæ fiunt evacuationes, saltem stomacho & intestinis evacuandis, & ex digestione prima necessariis fæcibus emittendis à natura propriè dicata sunt.

§. CII. *Sanè unicus sudor moderatus plus purificat & totam massam sanguineam*, ac *universum corporis habitum, quàm forsan* 10. *purgationes*; & in chronicorum curatione per urinam quæ fit evacuatio, ut plurimum convenientissima esse solet.

§. CIII. Cui ergò moderatum, sed sufficiens purgans sub pulveris forma placet præscribere:

℞. *Crem tartari* ℈j.
pulv. jalapp. gr. xij *ad* xv.
oleum destil. anisi gtt. ij.
M. pro pulvere, D. S.

Purgier-Pulver auf einmahl.

Quod si pilulæ præscribendæ sint:

℞. *Extr. panchym. Cr. gr.* xv.
g. ✱*ci in* ✠ *sol.* ℈ß.
scamm. ♃*at.*
extr. troch. alhand. à gr. j. *ad* ij.
c. s. q. Elix. propr. l. tinct. tart. f. Pilulæ,
D. S.

Purgierende Pillen auf einmahl.

Quod si gratæ Potiunculæ aut Emulsionis forma placeat:

℞. *Res. scamm.* ℈ß. *ad gr.* xv.
sacch. alb. ʒiij.
Misc. exactè, affundendo sensim
succ. citri ℥j.
M. D. S.

Purgier-Säfftlein auf einmahl.

vel

℞. *Res. jalapp. gr.* iix. x. *ad* xjv.
c. s. q. sem. melon. & ▽ *appropr. f.* Emulsio: edulcoretur
cum s. q. rot. manus Xsti simpl. D. S.

Purgierende Milch.

NB. Resinæ optimè cum vitelli ovi pauxillo solvi, ac, additâ dein ▽ appropriata, in Emulsionem redigi possunt.

§. CIV. Assumenda autem sunt talia purgantia jejuno stomacho, ne cum cibo, aut paulò ante, vel post eum propinata, chylum corrumpant & inficiant, huncque ita scoriarum formâ eliminent: sequatur lenis motus pro faciliori distributione & operatione, sed non nimius, ne sudorem ciendo exclusa purgationum miasmata citra effectum transeant.

§. CV. *Naturalissima* post eam, quæ per alvum fit *evacuatio, est per urinam*, qua latex totius corporis aquosus superfluus, qui anteà pro vehiculo alimenti inserviebat, nunc ceu vehiculum excrementi rejicitur, & lixivii ⊖ si volatilis forma sordes ⊖inas præternaturales ex massa sanguinea, aliaque huic permista recrementa, v. g. pus pleuriticorum, vel suppuratorum pulmonum pus, evacuat; aut ex abscessibus aut ulceribus artuum purulentam materiam, simulque ex primis viis ⊖ia vitiosa sub urina potus excernit.

§. CVI. Utut autem variis succurrat affectibus *diure-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0046-8 DFG

diuresis, optimaque & blandissima sit purificandi corporis contenta ratio, tamen specialius chronicis, seu, ut aliàs vocantur, tartareis morbis, conducunt, v. g. in malo hypochondriaco, scorbuto, cognatisque affectibus, item ictero nigro aut flavo, arthritide, hydrope, ascite & anasarca.

§. CVII. Nam & *acidulæ, chronicorum & contumacium affectuum debellatores*, præter substantiam mineræ martis, qua acidos & vitiosos sapores in primis viis destruunt, specialiter *diureticâ virtute*, qua potenter pollent, sunt salutares.

§. CIIX. Exerunt autem virtutem suam *diuretica*, in specie vi ⊖inâ, eaque ⊖sa, quâ ad nitri naturam accedunt: *nam & bufones ac lumbrici ex regno animali potissima diuretica* ex ⊖sedine ad nitrosam naturam inclinant, & diuretica vegetabilia legitimè calcinata ⊖ diureticum ⊖sum relinquunt, & mineralium aciditates diureticæ in primis viis in ⊖sum saporem correctæ, vim diureticam exserunt.

§. CIX. Equidem non levis est *varietas inter diuretica*, quas imprimis recenset *HELMONT. Tr. de Lithias. cap.* 5. §. 17. Primatum tamen obtinent *ex animali regno lumbrici per putrefactionem præparati; ex vegetabili verò terebinthinata & juniperina, in specie Malvaticum juniperinum; ex minerali verò nitrosa: quo pertinet imprimis spiritus urinosus, Clyssus dictus, volatilis, ex tartaro & nitro per retortam tubulatam destillatus.*

§. CV. Cum verò continuò & copiosè transpiret corpus, & ex pectore exhalet insensibiliter, nil mirum est, si tanta ejus sit necessitas, ut ex impedita eadem oriantur morbi, & ex eadem aucta iidem curentur: id quod *sudorem* vocant.

§. CXI. Fit *sudor*, quando sanguis ex quacunque causa, v. g. à calore ambientis intenso resolutus & quasi liquefactus, crebriùs per cor transit, & rapidiori circulo per totum corpus pellitur; unde successivè magis magisque in præcordiis rarescit, & ab aere attenuatus incalescit, magisque effervescit; & sic *pulsus magnus, celer & frequens*, aliàs *undosus dictus*, supervenit.

§. CXII. *Attenuatur simul aquosus ejus latex*, sanguinem naturaliter diluens, & ita faciliùs & copiosiùs dissolvit & imbibit ⊖ia, fermentativo motu ex sanguine separata, unà cum aliis præternaturalibus recrementosis particulis.

§. CXIII. Dum itaque ⊖inus magis cum sanguine circulatur per partes solidas, ⊖so isto lixiviali sapore mundificat, eas abstergendo ab omnibus sordibus, sub nutritione privata præternaturali interdum coacervatis.

§. CXIV. Intereà, quicquid sub circulari sanguinis, ejusque serosi laticis, motu defertur simul in vasa capillaria, unà cum fibris nerveis & intertextis glandulis, miliaribus à modernis dictis, cutim constituentibus, penetrat in dictas glandulas, tunc propter fibrarum nervearum relaxationem ex calore ambientis patentiores & spongiosiores redditas, donec ita successivè guttularum forma, licèt minutissimarum, tandem planè extra corpus ejiciatur. De *glandul. miliaribus* STENO & MALPIGH. videantur.

§. CXV. Nam propter ambientis calorem, indeque resolutas fibras nerveas, & ita patentiores redditos meatus & poros, tàm vasorum capillarium, quàm glandularum istarum, succedit imprimis sudor, qui aliàs occlusis poris haud effluereret, sed potiùs loco ejus per urinam fieret secretio & evacuatio.

§. CXVI. Adeò, ut ex dictis *universale sanguinis purificativum & partium solidarum*, imprimis *mollium, absterſivum, & cutis corporisque peripheriæ mundificativum sit sudor.*

§. CXVII. Prætereaque *omnes sanguinis grumescentiæ aliaque coagulationes, omnes humorum stagnationes, tolluntur, & quicquid exotici fermenti sanguini permistum fuerit*, hujus beneficio *evacuatur.*

§. CXIIX. Sed quoad *legitimam sudores administrandi rationem*, imitanda provida natura, non nisi in fine v. g. paroxysmorum febrilium intermittentium, aut in fine status in continuis, ubi quodammodo jam deferbuerit massa sanguinea, sudores pellens, nisi malignitas aliud suadeat.

§. CXIX. Sudorifera ergo remedia interna erunt, quæ, præter ambientem calorem, sanguinem resolventem, aut præter validum motum, eundem in rapidiorem circulum cogentem, eum resolvere, attenuare & liquefacere magis poterunt.

§. CXX. Cùm verò consistentia sanguinis effectivè ab acido ejus occulto dependeat, ob id *sudorifera erunt* vel *alcalia, imprimis volatilia*, hinc & fixa, positivè sudorem prolicientia; *vel terrea, acidum absorbentia*, & ita privativè ad sudorem disponentia.

§. CXXI. Si ergò præscribendum sit sudoriferum in forma liquida, sufficienter sudor movebitur sequenti formulâ:

℞. ▽ *card. bened.* ℥jß.
℘ ⊖*ci* ℥j.
vel loco hujus ⊖*is ejus vol.* ℈j.
ol. destillat. caryophyll. gtt. j. *l.* ij.
syr. fœnic., l. cortic. aurant. ℥ß.
M. D. S.

Schweiß-Trängklein auf einmahl.

Vel si pulveris forma magis placeat,

℞. ℥ij *diaphor.*
C. C. *s.* △*e*
⊖*is card. ben. a gr.* xij.
M. f. pulvis.

Hauriatur jejuno stomacho in vehiculo calido.

§. CXXII. Præter dictas evacuandi rationes, etiam per *copiosi sputi salivalis rejectionem*, evacuatur causa morbifica per variam Mercurii usurpationem, qui vel apparenter mortificatus in Mercurio dulci, aut Mercurio præcipitato quocunque, intus repetitis vicibus assumpto, post aliquot vomitus aut secessus salivæ copiosæ viscidæ & fœtidæ effluxum causatur.

§. CXXIII. Vel *idem* vivus adhuc extrinsecus admovetur corpori, nunc in unguentis ex eodem cum duplo vel triplo pinguedinis porcinæ in mortario lapideo probè permisto paratis, vel articulationibus majoribus manuum & pedum, vel ipsi spina dorsi illitis, nunc in suffitibus ex cinnabari vulgari cum benzoë, styrace, & similibus, in trochiscorum forma carbonibus ignitis injiciendis paratis, præmisso semper aliquot dierum balneo aquæ dulcis tepido, pro meliori succorum evacuandorum resolutione & liquefactione.

§. CXXIV. Casus, ut multa aliàs, ita & hîc remedium subministravit, dum ulceribus cacoëtheis & malignis, in specie Venereis, applicatus cum emplastris & unguentis ☿, copiosam salivationem, & hac mediante affectus curationem procurarunt.

§. CXXV. Unde primitus quidem *soli* lui Venereæ dicatus fuit hic ptyalismus. Cùm verò huic juncti & alii affectus simul levarentur, etiam ad plures chronicos & contumaciores morbos, quorum causa morbifica in acido vitioso, imprimis in ma-

teria viscidiore, videbatur abscondita, idem fuit usurpatus, specialiter ad scabies ferinas, ad arthritides graviores, ad epilepsias adultorum confirmatas, &c.

§. CXXVI. Equidem promiscuè sub liquaminis salivalis forma evacuat ☿, ut *suprà* §. 85. monitum; simul tamen hoc ipso vitium peccans corrigitur & tollitur: scil. *amalgama hoc liquidum*, ut probabiliter esse asseritur à BECCHERO *in Phyl. subterranea, habet secum sulphur volatile & subtile, acerrimum tamen in suo recessu*, ut sufficienter demonstrat *Tacchenius in Hipp. Chymico.*

§. CXXVII. Ratione hujus partibus solidis, nerveis in specie, infestus est ☿, resolvitque horum nutrimentum proximum chylosum in liquamen aqueum subviscidum, quod frequentissimè per cribra glandularum, imprimis maxillarium, tàm superiorum quàm inferiorum, ac tonsillarum, ceu quarum meatus optimè valent transmittere talem succum, transcolatur in os; rariùs verò per glandulas pancreaticas eructatur in intestina, quo casu per diarrhæam torminosam, interdum nonnihil cruentam, loco salivationis evacuat.

§. CXXIIX. *Cautus tamen meritò apud nos hujus Mercurialis salivationis est usus*, non tantùm quod spissiores sint minusque fluxiles & tenues succi, œconomiam nostri corporis gubernantes, quàm Gallorum aut Italorum.

§. CXXIX. Sed in specie propter scorbutum in his oris septentrionalibus nimis familiarem, qui per usum Mercurii magis exasperatur; & speciatim symptomata linguæ & oris, exulcerationes, & vacillationes dentium, gingivarum putredines, &c. vel ex solo incauto Mercurii usu supervenientia, sunt longè crudeliora.

§. CXXX. Et hæ fuêre universales corporis evacuationes. *Particulariter salivalem lympham evacuant* ex glandulis hujus excretioni destinatis, uti & ex tonsillis & membrana pituitaria posteriore, ac consequenter ex ipsis locis vicinis, ac tandem successivè ex ipso capite, à quo *Apophlegmatizantia* dicta seu *Masticatoria*, ut & gargarisando eorum Decoctum feliciter usurpari queat: horum tamen evacuata materia tandem non, nisi ex sanguine, derivanda.

§. CXXXI. *Conveniuntque imprimis in catarrhalibus capitis affectibus, ex lymphæ vitio oriundis*, dum *acrimoniâ* suâ *volatili*, v. g. radix pyrethri aut zingiber, aut zedoaria, aut nicotiana, aut sinapi semen, *vellicant & pungunt membranas oris, & orificia vasculorum* excretoriorum, simulque ulteriùs per ea penetrando resolvunt, quos ibidem inveniunt viscidos succos; unde ex iis uberrima destillat saliva in os.

§. CXXXII. Eadem omninò est ratio, quando eadem nicotiana, aut radix hellebori nigri, aut pulvis radicis & florum liliorum convallium, vel majoranæ folia, &c. vellicant membranam narium sensibilissimam, & membranam pituitariam anteriorem prope os vomeris vicinaque loca. Ex his enim etiam spissior paulo lympha quæcunque uberiùs sic elicitur, sive *sine sternutatione hoc faciant Errhina, sive cum sternutatione hoc faciant Ptarmica.*

§. CXXXIII. Equidem utraque naso saltem, non verò oculo emungendo, & coryzæ succurrendo, & lympham copiosam aut vitiosam eliminando primariò conducunt. Sed cùm *sternutatio* non *nisi ex diaphragmatis* ac *reliquorum* thoracis *musculorum convulsiva contractione exspiratoriâ fiat*, ob irritationem sensibilissimæ narium membranæ, ex connexione nervorum diaphragmatis & intercostalis cum dictæ membranæ nervo sensorio; ob id & ad excitandos apoplecticos, lethargicos, &c. non inutilis est sternutatio.

§. CXXXIV. Quin & cùm impetuosè admodum tunc elidatur ♁, & simul abdominis musculi violenter se stringant, ob id & ea, quæ firmiùs aut naribus, aut faucibus, ac asperæ arteriæ impacta sunt, simul ejici facit, & ad fœtus ac secundinarum exclusionem promptiorem non parum confert.

§. CXXXV. Quæ denique particulares corporis cavitates vel naturales, intestina, uterum, vesicam, &c.; vel præternaturales, sinus & fistulas, eluunt & expurgant arte prius Injecta Clismatum generali nomine veniunt, utut ad alvum eluendam frequentissimus illorum sit usus.

§. CXXXVI. *Intestinalium clysmatum*, utut substantia eorum materialis ultra coli valvulam naturaliter adscendere nequeat, late tamen diffusus est usus adeò ut non tantùm non omnibus abdominis & intestinorum pathematis, hinc & vicinis locis, renibus, utero, &c. tàm in adultis, quàm etiam frequenter in infantibus, conducat.

§. CXXXVII. Altiùs tamen in corpus penetrant subtiliora & volatiliora eorum miasmata, *unde non tantum ex vino cum aromatibus pro clismate injecto ebriosum delirium observat* RHOD. *Obs.* 38. *C.* I.; sed & *à* ℥j. *opii c. clysmate injecti coma obortum*, notat SALMUTH *C.* 3. *Obs.* 97. per clysma aliud ex vino Malvatico curatum: Sic, quibus aquæ benedictæ pro fortiori stimulo adduntur, interdum vomitus movent: *Vis tamen nutritiva eorum planè est nulla.*

§. CXXXIIX. Evporiston ergò clysma foret;

℞. *flor. chamomill.*
samb. à M. j.
bacc. junip. ℥ß.
sem. 4. carmin. à ℥j.
Coqu. in *s. q.* ▽ *simpl.* Colat. ℥ix, add.
elect. bened. lax. ℥j.
vitelli ovi num. j.
M. pro Clysmate.

Utut pro particularium affectuum ratione delectus subinde habendus sit, qua ratione *in dolore intestinorum scorbutico ex lacte clysmata, in dysenteriis ex cancrorum jure parata, &c. soleant commendari.*

§. CXXXIX. Quod si *symptomata graviora* peculiarem sui urgeant medelam, quæ etiam per unicuique appropriata remedia optimè perficitur, tamen omnibus iis in genere commodè succurrit opium; quod quatenus quoscunque spirituum motus, & humorum vitiosas effervescentias, & præternaturales excretiones sistit, ita & inde subinde oriundis symptomatis periculosioribus resistit.

§. CXL. Mirandus hic opii & similium, Narcotica dictorum, est effectus, qui tamen ex eo, quod spirituum motum impetumque sufflaminet plus minus, eorum volatilitatem & subtilitatem, indeque facillimam expansionem & mobilitatem figendo quasi aut condensando, explicari potest; unde consequenter tàm continentium quàm contentorum reliquæ motiones omnes naturales & præternaturales cessant.

§. CXLI. Hæc figendi potentia opiatorum consistere videtur in *principio eorum sulphureo, sali volatili acri juncto*, adeoque secundùm communia asserta potiùs in calore, quàm frigore; cùm & alia narcoticâ vi prædita, ut spir. vini, carbones incensi, Gas liquorum effervescentium (quod est de natura quo-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0048-0 DFG

quodammodo ♀ea volatili) ex dicto principio ♀eo efficaciam suam mutuentur.

§. CXLII. Unde & ♃a mineralia fixa vi anodynâ archæi sedativâ insigniter excellere dicuntur.

§. CXLIII. Sed cùm benedicta in opio sit medicina, ut rectè adhibeatur, tria sunt consideranda: (1.) *ut ritè correctum, vel per digestionem cum alcalibus, vel per fermentationem,* (quæ præfertur à nobis, utpote minori tempore & feliciùs procedens:) *citra castrationem per acida usurpetur.*

§. CXLIV. *Hinc* (2.) *ut constantibus adhuc nonnihil viribus legitimo tempore adhibeantur, in acutorum nempe saltem incremento,* ut symptomatum atrocitas mitigetur maturè; non in statu, ne critici motus impediantur: *in chronicorum verò paroxysmis, saltem nimis exacerbatis,* pro tollenda eorum ferocia.

§. CXLV. *Et denique* (3.) *nunquam solùm, sed debitis sociatum specificis, affectuique simul appropriatis remediis,* ne solo opio palliando saltem morbos, horum vel recidiva, vel contumacia nimia, induetur.

§. CXLVI. Hactenus ea, quæ ex remediorum genere materiali sui contactu & miscela operari solent, adeoque magis cognita sunt: sed parvi hæc facit HELMONT, qui saltem idealiter, & per radii quasi diffusionem, citra materialem contactum spiritum insitum illuminando, in specie in stomacho operantia remedia, ceu insigniora & magis potentia urget, eaque ex metallis sub forma sulphurum fixorum, in specie ex vitriolo Veneris, præparanda jubet ac postulat.

§. CXLVII. Sed idealis hæcce ejus hypothesis, solâ imaginatione constans humanâ, & in subjectis non rationalibus planè inconceptibilis, & ideis archæi seu spiritus insiti superstructa, partim subtilitate suâ nimiâ, partim ex §. 29. adductis & probatis, planè evanescit.

§. CXLIIX. Huc tamen revocari possunt quodammodò *cura* morborum *sympathetica* seu *magnetica & transplantatoria*: Illæ quidem, dum citra remedii cum parte laborante contactum, in distans fit cura, quasi per certum consensum cum parte affecta; hæ verò quando ægritudines transferuntur vel in animale, vel in vegetabile subjectum, ut exinde sanetur corpus humanum.

§. CXLIX. Sic sympatheticè nasus corrumpitur Bruxellis in Nobili, ob mortem bajuli Bononiensis; pulvis vitrioli Veneris in ☉e calcinati curat hæmorrhagias, vulnera & ulceta cruenta in distans, modò sanguinem ex parte læsa oriundum contingat; vocatur ob id Pulvis sympatheticus; & persicaria per ☽m frigidam tracta, vel contusionibus gravioribus vel ulceribus imposita, donec nonnihil intepuerit, & inde, ut putrescat citiùs, in loco commodo sepulta, dictos defectus curat: gladio, quo vulnus fuit inflictum, sive cruento sive non cruento, applicatum *unguentum*, quod vocant *Magneticum* seu *Armarium*, curatur vulnus: lac in prunas emulctum, ut vaccæ ubera inflammat, ita mulieris ubera sterilescere facit; vel dum contactu lardi aut pomi per medium dissecti curantur verrucæ, mediante dictorum putrefactione. Eadem ratio est cum clavis pedum.

§. CL. Sic quando in phthisi similibusque affectibus recipitur raphanus recens, excavatur, inque illum urina immittitur, adaptato ei operculo suo, hinc sub stillicidio in terram collocatur; pereunte urina, cessat affectus.

§. CLI. Transplantatoriè v. g. curatur panaritium intrusione digiti in felis aurem, RIVER. C. 4. *Obs.* 19. & 63; aut dum placentulæ, ex urina ictericî cum farina factæ, à cane esitatæ, icterum sanant? vel dum podagra tollitur cum sanguine & urina ægri in salices tenellos, vel arboris radicem, transplantatis: vid. TIM. *l.* 5. *Epist.* 8.

§. CLII. In omnibus his curis mediatè certa portio ☉ vitalis, ex corpore ægri decisa, sive cum igne, sive cum urina, seu cum sudore, seu cum insensibili transpiratione, separatur à toto, & in aliud subjectum transfertur. Hæc enim omnia aliquid de spiritu vitali demunt, inestque iis participatio quædam totius extra concretum naturale, ut loquitur Helmontius.

§. CLIII. Unde prout hic alteratur diversimode, sequitur similis in corpore toto alteratio, plus minus tamen, prout vel citiùs, vel tardius ad omnimodam sui dissolutionem ac interitum ad evanescentiam disponitur, ac ita vel breviùs vel diutiùs cum toto consensum sustinet.

§. CLIV. *Mumiæ spiritualis nomine venire solet hic in casibus dicta spiritus vitalis portio, quæ à toto separata fundamentum dictarum curationum constituit.* Utut enim propriè spiritui insito tribui soleant hac differentia, ratione cujus est etiam differentia inter corpora violenta & naturali morte obeuntia; tamen hoc in casu promiscuè sumi solent.

§. CLV. Mumia hæc, sive sub forma effluvii subtilioris ex habitu corporis extrahi debeat id mediante corpore tertio, *Magnete dicto*, fieri solet, sive ex stercore humano cum TENZELIO hunc magnetem parare, in *ejus Medicina diastatica*; sive cum aliis ex stercore & sanguine hominis sani, aut ex carne hominis violenter interempti, desumere velimus.

§. CLVI. Pertinent huc *Philtra vera ad certam personam determinata*, quorum vis in tali mumiali confermentatione consistit, ut ad certum objectum trahatur dilectio, ut rectè loquitur HELMONT. *Tr. Magnet. Vuln. Cur.* §. 27. & 28. h. e. in unione certa & arcta ☉ vitalis mumialis unius subjecti cum altero, ut ita hujus ☉ transmutetur & omninò subigatur ab ista mumia; unde sequatur propensio naturalis & quasi raptus in illam personam. Sed hæc pro excitanda salem curiositate in his abstrusioribus sufficiant.

§. CLVII. *In omnibus curis* non tarò plus arte Medica valet gravius malum; unde subinde necesse est, ut maturè *artificiosâ conjecturâ cognoscat Medicus: an & quomodo curabilis sit affectus?* adeoque & *eventum morbi, & tempus eventus, & modum eventus* artificiosâ prognosi eruat.

§. CLIIX. *Neminem autem Prognostico relinquat*, quia nunquam omnia adeò manifesta esse possunt circa ægros, ob specialem uniuscujusque individui idiosyncrasiam; quin interdum hujus ratione miracula in medicina fieri videantur, & ii, qui conclamati putantur, præter spem convalescant.

§. CLIX. Fundamentum legitimæ *Prognoseos cujuscunque est circumspecta consideratio roboris naturæ & violentiæ morbi, & utriusque collatio mutua.* Horum quod prævalituram judicatur, & quomodo? eò vergit omnis Prognosis.

§. CLX. Fontes, ex quibus sub utriusque collatione prognostica oriuntur signa, sunt tria? & *antecedentia & propria*, tàm objecti ægri, quàm ipsius morbi; *Attributa*, seu, ut aliàs dicunt, *essentialiter*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0049-8 DFG

tialiter Inhærentia; & denique *Consequentia*, atque ipsa vel *Juvantia* vel *Nocentia*: quorsum & in morbis acutis coctionis & cruditatis signa pertinent.

§. CLXI. Nempe Processus quasi judicialis in Prognosi instituitur: *Reus est æger*, *actor* est *morbus*, *Testes* sunt *signa*, in specie, quæ à consequentibus desumuntur; nempe ex parte ægri functiones, quæ adhuc sunt salvæ, ex parte morbi symptomata: *Advocatus est natura*; *judicis* vicem obtinet *Medicus*, vel condemnans alteram partem, vel judicium in re dubia & periculosa suspendendo ad supremum judicium, divinum auxilium, interdum partes ablegans.

§. CLXII. Quod ipsum sub crisi imprimis evidens est, sub qua subitanea fit mutatio, eaque vel in manifesto melius, vel in pejus; utut rarius apud nos contingat, cùm corpora nostra solidiora, victu crassiori utentia, frequentiùs labe scorbuticâ infecta, sanguine minus turgescente prædita, in climate minus fervido ineptiora sint, ut criticas subeant alterationes; unde sæpiùs evenit, ut subinde negligatur crisis, partim quia bonus Medicus nititur prævenire, partim quia ipsi & minus certi existunt, cùm *& extra septenarios crises subinde laudabiles eveniant.*

FINIS SYNOPS. INSTITT. MEDIC.

MICHA-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0050-9 DFG